



575
T R O T V L A E

CVRANDARVM AEGRITVDINVM

MVLIEBRIVM

ANTE IN ET POST PARTVM

LIBELLVS

E RECENSIONE ALDI

EMENDATIONIBVS ATQVE ANIMADVERSIONIBVS

ILLVSTRATVS

ACCESSERE

HENRICI KORNMANNI

QVAESTIONES

DE

VIRGINVM STATV AC IVRE

OBSERVATIONIBVS AVCTAE.



L. Heinrich Cornmann

LIPSI A E

SVMP TV IOHANNIS GABRIELIS BVESCHELII.

A. G. MDCCLXXVIII.

1778

VIRO
AMPLISSIMO CLARISSIMO
- ATQVE
DOCTISSIMO
CHRISTI AVGVSTO
KRIGELIO

AA. LIB. MAGISTRO ET SCHOLAE
THOMANAE COLLEGAE.

PATRONO AC FAVTORI
QVAM MAXIME COLENDO.

VIR

AMPLISSIME ATQVE CLARISSIME
PATRONE AC FAVOR
QVAM MAXIME COLENDE

Barbarum Medicum ipse Barbarus commenda-
datum his literis ad Te, puritatis latinae
linguae studiosissimum, et concinnitatis sermonis
ac elegantiae dictionis amicissimum, atque adeo
doctorem gravissimum literarum elegantiorum

mittere non dubito, probe cognoscens ipsum stiti spurcitie quidem inquinatum taediosisque vocibus refertum Tibi tamen non nauseam creaturum, neque, quod medicis ut plurimum solenne est ac usu receptum, stomachum esse moturum; eo siquidem consilio, mihi crede, non ad Te illum accedere iussi, cum eius potissimum cura in morbis persanandis versetur, quibus sexus sequior affligitur, vexatur ac interdum penitus opprimitur; sed potius hanc ob causam, ut Te interpellet atque a severiori literarum traditione, cui assidue omne tuum studium dicare soles, auocet atque retrahat, animumque tuum suavissimo voluptatis sensu afficiat atque iude sanitati tuae praesidia ac incrementa comparet maxima, eamque firmam esse iubeat ac constantem. Quamnam vero tibi dulcedinem asserre barbarus, quodnam gaudium tristis morborum crudelissimorum generis humani delicias ac dulce decus, hoc est, sexum

sequio-

*sequiorem atrocissime infestantium, poterit pro-
 creare recensio? Primo quidem obtutu plane nul-
 lum; at si alia cogito, maximum: cum non igno-
 rem Tibi et auctores non solum placere, qui
 minus recte atque eleganter res suas literis com-
 mendent latinis, sed etiam risum, illud certissimum
 gaudii signum, mouere atque efficere solere, ut
 manibus complicatis leuiterque tritis animi miri-
 fice affecti prodere videaris indicia satis luculenta.
 Cuius quidem rei spectatorem ac testem me sae-
 pissime fuisse, Te non latet, vidi enim Te exsultan-
 tem si libellos legeres quorundam, qui barbaro-
 rum more amoenissimas Latii inuaderent regio-
 nes, facerent incursiones, eas vastarent, Miner-
 uamque violarent, ac ducibus et praefectis puri-
 tatis ac elegantiae summam iniuriam facerent.
 Quidni sperare possem atque certo confidere, ut
 et Trotula sua ab omni concinnitate elegantiae
 dictione abhorrente Tibi gratus acceptusque esse
 queat?*

*queat? Ipsa quoque morborum atrocissimorum
 commemoratio, quainquam in se spectata omni
 prorsus destituatur gratia, aliquo tamen modo
 non penitus iniucunda censenda, cum animum et
 cognitione causarum genuinarum, praesidiorum-
 que aptorum, quibus medelae firmissime innititur
 spes, notitia aequae ac copia imbuat. Quid quod
 et Tibi hoc cognoscere gratissimum esse debet;
 nam cum auctor sapientissimus Naturae omnes in
 uniuersum morbos hic descriptos abesse iusserit a
 dilectissima tua coniuge, coelitus Tibi data et con-
 cessa multisque animi et corporis dotibus instru-
 cta, praeterea illi prospera valetudine, qua non
 maius mortalibus in hac rerum uniuersitate con-
 tingere potest bonum, frui liceat, Te felicissimum
 sone omnes, qui Te norunt mutuoque amplectun-
 tur amore ac integerrimo, praedicant atque de
 Tui vultus serenitate coniugisque secunda valetu-
 dine ita laetantur, ut ex intimis quasi recessibus*

ad Te ipsum sinant tanquam ex limpidissimis fontibus dulces gaudii promanare riuos.

Ipsi vero Trotulae Kornmannum, virginitatis patronum, adiunxi comitem, ut sin minus Tibi Trotula placeat, ille Tuum res vari generis iucundioresque proponendo promereatur assensum, quamquam caeteroquin cum Trotula pari passu ambulat et ab stili latini elegantia orbus relictusque videtur. Quare firmiter persuasus sum, et hanc gratam ne ullo quidem modo mihi patiar eripi persuasionem, illum meam causam ita apud Te esse acturum, ut mihi temeritatisque meae, qua te aliqua horae portiuncula, quam suauissimis Tuae dilectissimae coniugis amplexibus dicare debuisses, priuauerim, veniam sis concessurus. Qua ut me haud indignum censeas, id agam summopere, ut abrupto illico sermonis filo, Tibi, ne patientia tua videar abuti, quam saepissime expertum me

*esse laetus praedico, confirmem me semper omni
cura sollicitudineque id esse acturum, ut Tuum
fauorem verissimum, cuius egregia erga me exta-
re hucusque voluisti documenta, mihi conseruem
perpetuo. Vale atque amore Tuo complectere*

VIR, AMPLISSIME,

UMF

SCR. LIPSIÆ
CAL. MAII
CICIDCCCLXXVIII.

**TIBI DEDITISSIMUM
EDITOREM.**

PRAE-



PRAEFATIO.

Ex quo tempore arti medicae persanandis corporis humani aegritudinibus accommodatae adaptataeque, quamque per quatuor vrbis plagas assidue cursitando corpusculumque meum defatigando exerceo, meam dicaui operam, id inprimis curavi, ut animum meum tristibus fatis, quibus miserum genus mortalium succumbere atque excruciarı video, aequę tristem ac morosum redditum, aliquo saltem modo recreationibus exhilaratum redderem tranquillıorem ac pacatıorem. Vnde ad commune illud praesidium, omnes curarum anxietates sedans dolorumque leniens acerbitatem, confugi, literarum videlicet studia, quae ingenium alunt, animum oblectant, et in aduersis perfugium firmum solatiumque verum praebent. Nec me spes mea fefellit, nam horae meae subcisiuae huic studiorum contentioni dicatae, ita gratae et acceptae mihi redditae sunt, atque sic suauiter praeterierunt, ut vota semper conceperim in hoc literarum studio aliquando consenescere. Ve-

rum alia quoque optavi, quae mihi vitam aequae quam viuo laboriosam, gratiorem redderent, videlicet ut aliquid etiam in publicum emitterem, quo de studiorum meorum ratione aliquid, quamquam leue et exiguum, perhiberem testimonium. Placuit autem quemdam veterum medicorum animaduersionibus meis qualibuscunque illustratum iubere in publicum prodire. Desiderabam vero talem cupide, quem nondum satis comtum politumque esse intelligerem, quemque alii ante me intactum emendationibusque destitutum reliquerant. Inter plurimos vero tunc temporis mihi obuersantes prae reliquis dignus visus est Trotula, qui seorsim ederetur atque animaduersionibus instructus prodiret. Nam, quantum scio, nemo eum obseruationibus illustrauit, et, quod sane dolendum, in collectionibus, quibus insertum esse vidi, neque satis eum emendate legi, neque a vitiis leuioribus purgatum inueni. Neque enim editio *Aldina*, quae iure aliis praeferranda est, emendatum atque purum exhibet textum, quamquam eam sequi necessitate coactum me profiteor. Quare meam curam omnem in eo emendando pro virium

mearum

mearum imbecillitate collocandam esse existimaui; sic tamen ut quae in sermonis structura et formularum loquendi apparatu minus recte, apposite atque eleganter dicta cernerem, intacta, quoniam ab ipso auctore profecta viderentur, relinquerem. Neque incassum, nam re vera expertus me multa ex penu veterum medicorum rite perlectorum, ex quibus ceu genuinis fontibus quam plurima sua hauserat Trotula, ipsius libello illustrando potuisse adhibere. Perspexi quoque Trotulam morem, quem et recentiorum quampiurimi sanctissime seruare solent, imitatum, quo omnia quaecunque demum produnt, ita proferunt, ut, nomina a quibus profecerint sedulo reticendo, ne vno quidem laudent verbulo. Paulo aliter sese res cum socio Trotulae habere videtur, quippe qui Charybdin vitando incidit in Scyllam atque magna copia et admiranda farragine scriptorum a se laudatorum lectores paene obruit, obrutosque penitus suffocat. Quod igitur vni deest, alter supplere videtur. Nihilo tamen secius in quamplurimorum reprehensiones me incursum esse praeuideo, cum hos auctores coniungendos sumserim. Verum enim vero salua

res est. Praesidia ad meam defensionem exstructa firmissima a Trotula aeque ac Kornmanno conspicio, quibus cinctus aduersus calumniam, quasi absque omni consilio egerim, me defendere atque omnes criminationes remouere propellereque potero. Argumenta siquidem librorum quam maxime inter se conuenire videntur, alter enim iniurias tenerrimo corpori femineo a morborum atrocitate illatas propellere studet, alter virginitatis iura aduersus obrectatorum calumnias defendere, tueri ac vindicare tentat: posterior, si ita dicere licet *antece-*
denter, et prior *consequenter*, sexus feminei mala, quibuscum interdum colluctantur, proponere videtur. Sit interim, vt illi quibusdam non videantur noua iterataque indigere editione, nihilo tamen secius omnem ideo penitus operam perditam arbitror, qua vtilitati publicae prospicere curo, etsi ad eos deferatur libellus, qui thus, piper vendunt atque odores. Alia vero commoda inde prouentura magna cum specie veri auguror: prior enim docere potest, quam egregia emolumenta atque incrementa, quas eximias accessiones, quas pulcras emendationes nostris potissimum ceperit

ars salutaris temporibus, si enim cum recentiorum medicorum scriptis, qui morborum mulierum historiam complectuntur, componas, facile intelliges, palmam nostris, qui hanc artem melius cultam, mirifice auctam, atque insigniter locupletatam esse iusserunt, utique esse concedendam. Posterior autem testimonium perhibet, praeteritorum temporum Iuris peritos non Actorum (ut loquuntur) turrium in formam in Museis exstructorum volumina tinearum more perreptauisse, sed maximam tereque omnis aetatis suae partem euoluendis perlegendisque eruditorum libris impendisse, eosque integerrimo animo suum cuique tribuenti, ubi quaedam ex iis mutuarint atque depromserint, prodidisse. Quamquam praeterea inuisa illa Bartoli Baldique nomina, quos nonnulli generosissimos ac maximos appellant compilatores, librosque his refertos tanquam abominandos detestandosque existimant prorsus reiiciendos, utramque paene paginam in Kornmanni absoluant libello, tamen eum propterea non seponendum, reiiciendum, prorsusque exterminandum esse censeo: obuerfatur enim mihi illud *) Plinii ante mentem: *Nullum esse librum*

*) *Epist.*, L. III, *Epist.*, V,

librum tam malum, ut non aliqua ex parte profuit.

Officii mei quoque ratio exigere videtur, quaedam de patria, vitae genere atque scriptis Trotulae commemorare: verum enim vero cum haec tot tantisque tenebris inuoluta, obfuscata atque penitus tecta, magnisque et perplexis implicata nodis, haud quaquam a me soluendis, sentiam, quis quaeso a me homine obscuro atque umbratico certiora clarioraque expetere expectareque poterit? Quam provinciam illustriori viro demandatam esse iam impense laetor. *Illustris enim, Magnus atque Experientissimus Vir, CHRISTIANVS GODFREDVS GRVNERVS*, egregie in historia literaria veterum medicorum versatus literarumque elegantiorum amantissimus, docta atque egregia commentatione nuper conscripta, Trotulam, cuius memoria apud multos prorsus erat deleta, monumento optime atque affabre exstructo condecoravit, eumque iussit esse perennem. Anno enim huius saeculi LXXIII. cum Cel. GRVNERVS novum munus Botanices ac Theoretices Professoris ordinarii in celeberrima Academia Jenensi auspicaretur, prolusionem edidit
huius

huius tenoris: *Neque Eros, neque Trotula, sed Salernitanus quidam medicus, ipsique Christianus, auctor libelli est, qui de morbis mulierum inscribitur*: qua quidem prolusione omnia docte, scite atque eleganter comprehensa, dilucide clareque proposita sunt, ut omnes verae doctrinae eruditionisque amici Viro Illustri obstrictissimos sese sentiant. Discendi siquidem cupidos lectores magna exquisitaque rerum copia non alit solum, sed penitus exsatiat Vir Doctissimus, inuestigatis, erutis ac rite propositis argumentis non tantum iis assensum extorquet, sed ita certos esse confirmatosque iubet, ut nullus amplius dubitationi relinquatur locus, atque stili demum elegantia non oblectat solum, sed ad sui admirationem atque reuerentiam blande lectores allicit atque ad assensum suauiter trahit. Quare omnes quos plura de Trotula scire interest, ad illum libellum assidue legendum eo maiori fiducia inuitamus ablegamusque, quo magis persuasi sumus omnibus ac singulis lectionem hanc esse quam maxime profuturam.


Aequis bonisque, quod reliquum est, arbitris meum consilium in euulgando hoc libello, meumque quod ipsi impendi studium,

um, si aliquatenus probetur, mihi sane gratissimum erit, et si intellexero meam non omnino operam perditam esse, laetabor quam maxime. Ingenue enim affirmo, me non id spectasse, ut gloriolam aliquam captem, cui nostri seculi auctores inhiant quamplurimi, omnes siquidem laudis studio ducimur, et optimus quisque gloriam, quamquam vana sit atque caduca, appetit; sed ut pateat, me saltem his temporibus quibus ingens librorum moles typis excubitur, noluisse prorsus segnem videri. Verum cum me ingenio arteque destitutum senserim, ita, ut nihil de meo proponere auderem, saltem libellis aliorum promendis animo satisfacere, et aliquid proferre voluerim. Nam

*Est melius fecisse aliquid, quam vivere segnem,
Pallas ad ingenium quodlibet apta venit.*

Igitur optatis nostris ut respondeat euentus, precamur, scilicet lectores nostros hanc qualemcunque operam non plane improbaturus esse. Meliora si per vires otiumque licebit, in posterum pollicemur.





IUDICIA

DE

TROTULA EIVSQUE LIBELLO.

IOH. ALB. FABRICIUS

BIBLIOTH. LAT.

Tom. III. et ad eam *Iob. Aug. Ernesti* V. S. V.

p. 542. sq.

Librum *de passionibus mulierum, siue de remediis muliebribus, Trotulae* alii, *seminae eruditae* a) cuius in illo libello mentio est c. 20. alii complu-

a) *Henricus Baccius* descriptione regni Neapolitani T. IX. thesauri scriptorum Italiae, p. 42. *Trotola seu Trottola de Ruggiero, multae doctrinae matrona Salernitana, quae librum scripsit de morbis mulierum et earum cura, et alterum de compositione medicamentorum. Ex eadem schola peritiae Medicae causa celebratur Rebecca Guarna.*

complures *Eroti*, b) Iuliae liberto et Medico tribuunt, vti *Adrianus Iunius* L. VI. Animadvers. c. 1. sed, *Iohanne Rhodio* p. 11. in Scribonium notante, Itilus scriptorem Iuliae aetate longe posteriorem demonstrat et vsus vocabulorum *distemperandi, puluerizandi, fomentandi, stuphae, succari etc.* et vel in prologo ipso primoque capite laudatus *Galenus*, et c. 20. Capite 17. citat *Cophonem*, et p. 43. *Medicum quendam in regione Franciae*, p. 60. *puluerem ordinatum per Magistrum Seraldum*, et Cap. 4. *Iustinianum* c) *Medicum*, an Iulianum? c. 22. praescribit potionem *S. Pauli Trotula* ipsa laudata: unde communiter *Trotula* vocata fuit, quasi *magistra operis*: c. 61. *nobiles illae Salernitanae*, ino cum eorum fuso ex bresilio frustratim inciso, *mulieres Saracena*, earumque experimentum ad denigrandos capillos: et c. 62. aquae vitae de vino meliore destillatae facta mentio. Vide *Bapti-*

b) *Protis* perperam excusum est apud *Lindenium* p. 425. et in *Merklino* *Lindenio* renouato, p. 716. *Erotis Medici* mentio in veteri inscriptione apud *Gruterum*, p. CCCC. 7 Nomen fuit seruile apud Romanos, vt docet *Menagius* in *amoenitatibus iuris*, p. 193. seq.

c) Sane felici coniectura emendauimus *Priscianum*, vid. obseru. ad *Trot.* p. 23. Vel librarii ex incuria, vel operae ex negligentia hunc errarunt errorem. Legi tamen merentur, quae docte et eleganter hac de re ex coniectura disseruit *I. G. Gruner*, V. II. in prolus. laudata, p. 9 sq.

Baptistam Morgagnum Epistola in Serenum Sammonicum, p. 69. sq. Neque a femina scriptus libellus, cuius auctor in prologo: *Ego, miseranda illarum (mulierum) calamitate, praesertim cuiusdam matronae instigatione compulsus, coepi diligenter contemplari de acgri tudinibus etc.* Christianum se prodit primis statim prologi verbis: *Cum auctor vniuersitatis Deus in prima mundi constitutione, rerum naturas singulas iuxta genus suum distingueret etc.* et c. 17. *Si acciderit difficultas partus, ante omnia recurrendum est ad Deum: et mox: statim pariet Deo fauente.* Doctorem Salernitanum fuisse putat Thomas Bartbolinus dist. VI. de legendis libris p. 167. quam sententiam late et crudite defendit nuper proprio libello *Christian. Gottfr. Grunerus* V. D. Ienae (1773) qui ad Sec. XIV. finem refert. Exemplum libri scriptum fuit in Bibl. Thomasiae Noribergae. Editus est liber primum Argent. 1544. f. inter Medicos antiquos ab Aldo a. 1547. editos, p. 71. et inter Gynaeciorum scriptores collectos ab *Israele Spacchio* in priore editione Basil 1586. 4. p. 89. et alia 1597. porro in *Collezione Empiricorum a Bened. Victorio* edita Venet. 1554. et in *Wolfii Gynaeciis* Tom. I.

Christ. Godof. Grunerus, V. Ill. et Exp. in profusione supra laudata. p. IV.

Alii enim illum *Eroti* attribuere non verentur, eorumque in numero sunt ipse *Wolphius*, *d)* *Adrianus Iunius*, *e)* *Rhodius*, *f)* *Iob. Georg. Schenkus*; *g)* alii *Trotulam* auctorem efficiunt, ut *Tiraquellus*, *h)* *Conr. Gesnerus*, *i)* et praeter hos docti viri multi, idque sine dubio hanc ob causam, quia in ipso libello mulieris huius medicae facta est mentio; alii denique utrumque locum habere posse negant, scripcionemque hanc medico cuidam Salernitano deberi utcumque profitentur. Fecerunt id praeceteris *Herm. Conringius*, *k)* *Thom Bartholinus*, *l)* *Clericus*, *m)* *Stollus*,

d) *Gynaecior. p. 89. Tom. I.*

e) *Animaduers. VI. 1.*

f) *In Scribon. Larg. Emendat. et Not. p. 21. ubi certe filius Iuliae aetate multo posterior esse dicitur.*

g) *Bibl. Med. p. 159. quo in loco simul via ac ratio demonstratur, qua factum sit, ut ex Eros Iulia, fieret Trotula.*

h) *De Nobilitat. c. 31. n. 352. p. 408. ed. Lugd. 1559.*

i) *Bibl. Vniuers. p. 620. T. I.*

k) *Introd. in Art. Med. c. 5. §. 15. p. 193. ed. Hal.*

l) *Diff. De libris legend. VI. p. 132. ed. Meuschen.*

m) *Hist. de Medec. P. III. L. I. c. 1. p. 12. ed. Amst. 1702.*

Stollus, n) Ioeherus, o) Kestnerus p) cet. videturque id vnum nobis mirum, quod an ad medicum Salernitanum vere referendus ille liber sit, dubitanter tantum non omnes pronunciarunt. In quo quam recte senserint, iam paucis videamus, etc.

Joh. Georgius Schenkus in Bibl. iatrica p. 159.

Eros, MS. Iuliae libertus, scripsit Gynaeciorum, siue muliebrium morborum libellum. *Erotis* Medici et Iuliae Augustae libertum esse volunt, et Trotulae corrupto vulgo nomine inscribitur. Hic enim, ut alii annotarunt, quod in nomine Dominae suae concessisset, *Eros Iulia* dictus, inde literis immutatis, et quibusdam amissis et intercidentibus *Trotula*. Alii etiam mulicri et feminae adscribunt. *Trotulae* duo MSS. exempli, quorum alterum in charta 4 extat in Bibl. Schenkii. Plura Trotulae sub nomine.

Idem, p. 506.

Trotulae, siue *Erotis* liberti Iuliae Gynaeciorum librum, curandarum aegritudinum ante, in
* 4 et

n) Hist. der Med. Gel. P. II. c. I. §. 47. p. 744. sequent.

o) Gelehrt. Lexic. p. 358. Tom. II. et p. 1338. Tom. IV.

p) Medic. Gel. Lexic. p. 864. sequ.

et post partum primus omnium Georg. Kraut Medicus industrius et sui tempore celebris exhibuit Argent. apud Ioh. Schottum, 1544. in fol. cum Aesculapio, Octauiano, Horatiano, Orbasio, Hildegardi et aliis, inde Venetiis cum Medicis Latinis veteribus ex Aldi officina exc. 1547. fol. et Paris. 1550. apud Ioh. Fouscherium 16. velut etiam Venetiis ex Valgnitii officina in 8. 1554. cum Ben. Victoris Empirica in lucem emissus, qui postremum quoque Gynaeciorum libris Basileae editis insertus, Trotulae exemplaria MSS. tria extant in celebri Bibl. Schenkiana. His Cosmetica et quaedam alia interferuntur.

Paschalis Gallus in Bibl. medica, p. 91.

Erotis Medici liberti Iuliae muliebrium liber, qui etiam ad ornatum quaedam pertinentia et alia varia continet. Hodie sub nomine *Trotulae* circumfertur.

Idem, p. 295.

Trotulae antiquissimi auctoris curandarum aegritudinum ante, in et post partum liber, opera Aldi Manutii liberorum in lucem editus, excusus est Parisiis 1550. in 16. per Ioh. Fouscherium et 4. Bas. 1585. cum aliis eiusdem materiae scriptoribus. Dicitur autem esse *Erotis Medici Iuliae Augustae liberti*, qui cum in nomen Dominae concessisset, *Eros Iulia* dictus, unde

de nomen corruptum est, et Trotula dictus, atque etiam in feminam mutatus: nam qui Argentinæ hos libros edidit 1544. Trotulae mulierî inscripsit Gesnerus.

Ant. van der Linden de scriptis medicis,
p. 161.

Erotis muliebrum liber extat in Gynaeciorum libris ab Is. Spachio editis, p. 42. Cum medicis antiquis Venetiis apud Aldum 1547. in fol. p. 21.

Idem. p. 603.

Trotula, qui et Erotis, Curandarum aegritudinum muliebrum ante, in et post partum liber vnicus, nusquam antea editus, quo feminei sexus accidentes morbi et passiones, infantum a partu cura, nutricis delectus, et reliqua iisce adnata, dispositiones vtrique sexui contingentes, experimenta denique variarum aegritudinum, cum quibusdam medicamentis decorationi corporis inseruientibus, edocentur. Extat cum medicis antiquis Latinis Venetiis apud Aldi Filios 1547. in fol. p. 71.

Gottlieb Stolle Anleitung zur Historie der medicinischen Gelahrtheit II. Theil, Cap. I.

P. 744. 745.

Der sogenannten *) *Trotulae curandarum ægritudinum muliebrium ante, in et post partum **) liber vnicus* etc. sieht viel zu barbarisch aus, als daß man es vor ein Werk eines Alten ansehen sollte. *Conring* hält es vor eine Schrift eines Medici zu Salerno, und versichert, daß die Schreibart des *Constantini Afri* seiner nahe komme.

q) *Trotulae* oder vielmehr *Erotis*. Siehe *Biblioth. Riuin. in Indice. Conf. Linden. renouat. p. 1030.* da *Erotis* zum *Nominatiuo* gemacht wird. *Conf. das Gelehrten Lexic. Part. II. p. 1320.* Kurz, man weiß nicht; ob *Trotula* ein Madgen oder Büßgen gewesen. Doch ich irre mich. Denn *Trotula* ist eine Weibsperson gewesen, welche andern ihres gleichen in weiblichen Krankheiten geschickt zu helfen gewußt; dieses erhellet aus dem XX. Capitel dieses Buchs, aus welchem man ehe vermuthen wird, daß jemand anders, als daß eben *Trotula* desselben Urheber sey. *Cap. VIII.* wird etwas aus dem *Paulo Aegineta* angeführt, der im VII. Seculo floriret.

r) Dieses Buch ist das erste Mal mit den *Medicis antiquis* zu Venedig bey des *Aldi* Söhnen anno 1547. herausgekommen. Siehe *Linden. renou. p. 1030. b.* und steht daselbst, p. 71. seq.



INDEX

CAPITVM LIBELLI TROTVLAE.

<i>Prologus.</i>	p. 3 seq.
I. <i>de retentione mēstruorum.</i>	9
II. <i>de paucitate mēstruorum.</i>	14
III. <i>de nimio fluxu mēstruorum.</i>	17
IV. <i>de suffocatione matricis,</i>	21
V. <i>de descensu matricis.</i>	24
VI. <i>de motu matricis ex suo loco, quae tamen non eleuatur, neque deprimitur,</i>	25
VII. <i>de nimia caliditate matricis.</i>	26
VIII. <i>de apostemate matricis.</i>	26
IX. <i>de ulceribus matricis.</i>	29
X. <i>de pruritu uimae.</i>	30
XI. <i>de impedimento conceptionis, et de his quae faciunt ad impraegnationem.</i>	30
XII. <i>de formatione seminis concepti.</i>	36
XIII. <i>de situ foetus in utero matris.</i>	37
XIV. <i>de signis impraegnationis.</i>	38
XV. <i>de regimine praegnantium.</i>	39
XVI. <i>de regimine parturientis.</i>	40
XVII. <i>de difficultate partus,</i>	42
XVIII. <i>de regimine infantis.</i>	46
XIX. <i>de electione nutricis.</i>	49
XX. <i>de his, quae mulieribus saepe post partum accidunt.</i>	50
XXI. <i>de mala complexione calida et frigida ma- tricis.</i>	58
XXII. <i>de dolore matricis.</i>	59
XXIII. <i>de fluxu matricis.</i>	60
XXIV. <i>de carne in matrice exorta.</i>	62
XXV. <i>de tussi acerrima puerorum.</i>	62
XXVI. <i>de sudore foetido.</i>	62
XXVII. <i>de dolore oculorum.</i>	63
XXVIII. <i>de tela oculorum.</i>	63
XXIX. <i>de maculis oculorum.</i>	64
XXX. <i>de exitu matricis propter disproportionem virgae virilis.</i>	64

XXXI. de inflatione vulvae.	65
XXXII. de ruptura vulvae.	65
XXXIII. de dolore vulvae.	66
XXXIV. de mulieribus mingentibus in lecto.	66
XXXV. de modo coarctandi matricem, ut etiam corrupta appareat virgo.	66
XXXVI. de crassis mulieribus, et gracilibus.	67
XXXVII. de retentione secundinae.	70
XXXVIII. de abortu.	70
XXXIX. de exitu ani.	71
XL. de dolore iuorum.	72
XLI. de stranguria.	72
XLII. de lapide.	73
XLIII. de dysenteria.	74
XLIV. de pediculis nascentibus in pectine, et sub asellis, et circa oculos.	75
XLV. de scâbie coxarum et aliarum partium.	75
XLVI. de cancro.	76
XLVII. de cancro nasi.	77
XLVIII. de fornicationibus et sironibus.	77
XLIX. de inflatione pedum.	77
L. de inflatione virgae virilis et testiculorum.	78
LI. de pustulis parvis puerorum.	79
LII. de foetore oris.	80
LIII. de casu vuulae.	80
LIV. de verme manuum et pedum.	80
LV. de surditate aurium.	81
LVI. de glandulis.	82
LVII. de haemorrhoidibus.	82
LVIII. de dolore dentium.	83
LIX. de fistula.	83
LX. de scâbie manuum.	84
LXI. de ornatu corporis, et partium eius: adque faciem dealbandam.	85
LXII. Pro conseruatione corporis humani ab aliquot infirmitatibus, aquae mirabilis effectus.	106
LXIII. Puluis ad conseruationem visus.	109

TROTVLÆ

CVRANDARVM AEGRITVDINVM

MVLIEBRIVM

ANTE, IN, ET POST PARTV.M

LIBER VNICVS

NVSQVAM ANTEA EDITVS, QVO

FEMINEI SEXVS ACÇIDENTES MORBI ET

PASSIONES, INFANTVM ET PVERORVM A

PARTV CVRA, NVTRICIS DELECTVS, ET

RELIQVA IISCE ADNATA, DISPOSITIONES

VTRIQVE SEXVI CONTINGENTES, EXPERI-

MENTA DENIQVE VARIARVM AEGRITVDI-

NVM, CVM QVIBVSDAM MÈDICAMENTIS

DECORATIONI CORPORIS INSER-

VIENTIBVS, EDOCENTVR.



PROLOGVS.

Cum auctor vniuersitatis Deus, in prima mundi constitutione, rerum naturas singulas, iuxta genus suum distingueret, naturam humanam supra caeteras creaturas singulari dignitate a) condidit. Haec enim, supra aliorum animalium conditionem, rationis et intellectus libertatem dedit. Propterea volens eius generationem perpetuo subsistere, in sexu dispari, masculum et feminam creauit, vt eorum fecunda propagatione nunquam desineret emergere futura soboles. Quorum qui-

A 2

dem

a) *Condidit*) Aldina edit. habet *concidit*, male, ex operarum certe errore, nos restitimus *condidit* tanquam veram genuinamque lectionem.

dem complexiones grata quadam commixtione contemperans, b) naturam masculi calidam et siccam, femellae vero frigidam et humidam constituit: qua cuiusque alterius complexionis excessus, mutua qualitatum contrariarum repugnantia coerceretur: adeo ut viri constitutio calida et sicca, mulieris frigiditatem et humiditatem: et e contra huius natura frigida et humida, illius complexionem calidam et siccam remulceret. Similiter ut masculus qualitate fortiori dignus, in mulierem tanquam in agrum semen effunderet, et mulier qualitate debiliore praedita, tanquam viri officio subdita, semen effusum in gremium natura susciperet. Quoniam ergo mulieres natura sunt viris debiliores, hinc est quod in eis saepius c) abundant aegritudines, maxime circa membra operi naturae debita. Quae cum

b) *Naturam masculi etc.*) Auctor huius sententiae fuit, Empedocles, qui putavit: mares ex calidiori, feminas ex frigidiori fieri temperamento, eo quod viri sint vere calidiores mulieribus. Cui sententiae multi subscribere veterum medicorum.

c) *Abundant aegritudines*) Quod mulier bis patiatur morbum, tritum est apud veteres medicos proverbum, et experientia ipsa satis compro-

cum in loco secretiori accidant, ipsae propter verecundiam, et conditionis fragilitatem, non audent angustias suarum aegritudinum medico reuelare. Qua propter ego miseranda d) illarum calamitate, praesertim cuiusdam matronae instigatione, compulsæ, incepti diligentius contemplari de aegritudinibus, quibus femininus sexus saepissime molestat. Cum itaque in mulieribus non tantus abundet calor, qui prauos et superfluos, qui in eis quotidie congregantur, sufficiat consumere humores, nec tantum laborem valeat earum debilitas tolerare, ut sudorem possit ad exteriora illarum natura expellere, sicut in viris: ideo ipsa natura, pro-

A 3

pter

probatum, et ex structura corporis femineï facili negotio demonstrandum. Principem autem causam morborum uterum esse, quod et Trotula sequentibus innuit verbis, et Democriti opinio confirmat, dicentis: *uterum causam mille aerummarum suarum esse herae.*

d) *Ego miseranda etc.*) Quibus potissimum verbis Auctor huius libelli persuadere cupit lectoribus, hunc qualemcunque libellum a femina confectum, quod et in ipso libello expresso nomine prodit; qua quidem de re vberius suo dicendum erit loco. Agnoscere illam Atticam imitatum esse videtur amore erga sexum femineum ductam, ut medicinae, et in primis artis oblietriciae operam nauaret v. Hygia. Fab.

pter defectum caloris, eis praecipuam purgationem destinavit, scilicet menstrua, quae vulgus flores appellat. Nam sicut arbores non producant sine floribus fructus, sic mulieres sine propriis floribus, conceptionis officio defraudantur. Haec autem purgatio contingit mulieribus, sicut de nocte viris pollutio. Semper enim natura grauata quibusdam humoribus, siue in viris, siue in mulieribus, iugum suum nititur deponere, et laborem minuere. Solet praeterea huiusmodi purgatio mulieribus contingere circa decimum tertium, vel quartum decimum annum, vel paulo citius, vel paulo tardius, secundum quod in eis magis, vel minus abundat caliditas vel frigiditas. Durat autem vsque ad quinquagesimum annum, si est macra: quandoque vsque ad sexagesimum, aut sexagesimum quintum, si est humida: in mediocriter pinguibus, vsque ad quadragesimum quintum. Si autem debito tempore et ordine contigerit talis purgatio, exonerat se competenter natura e) a superfluis humoribus

e) *A superfluis humoribus.*) Errorem errat A. cum quamplurimis et veterum et recentiorum medicorum, abundantiam sanguinis menses producere, at aliam causam esse nuper docuit le
Cat

ribus. Si vero menstrua plus vel minus exierint, quam debent, plures aegritudines inde emergunt. Quoniam inde minoratur appetitus tam cibi, quam potus. Quandoque fit vomitus: et quandoque *f)* appetunt terram, carbones, cretam et similia. Quandoque ex eadem causa dolor sentitur circa collum, dorsum et in capite. Quandoque adest febris acuta, cordis morsus, hydropisis vel dysenteria. Haec autem contingunt, vel quia tempore longo deficiunt menstrua, vel quia prorsus non habent: unde non solum hydropisis, vel dysenteria, vel morsus cordis accidunt, sed et aliae peiores aegritudines. Aliquando enim accidit diarrhoea, propter nimiam frigiditatem matricis: vel quia venae eius sunt multum graciles, ut in extenuatis mulieribus: quia tunc humores spissi et superflui non habent liberos meatus, per quos possint erumpere, vel quia humores sunt spissi et viscosi, ideo propter

A 4

con-

Cat in litteris ad Auctorem libelli: *Journal de Medecine*, quae extant in *Journal de Scav.* à Mois Juil. 1764. p. 439-464.

f) Appetunt terram etc.) Peculiari nomine hic morbus venit apud auctores, videlicet *pica grauidarum* appellatur, quoniam ut plurimum grauidae nonnullae hae vexantur, quarum mira exempla apud Scriptores occurrunt.

conglutinationem, eorum exitus impeditur: vel quia deliciose comedunt: vel quia ex aliquo labore multum sudant; sicut testatur Galenus. Mulier quae se non exercet multum, necesse est, quod abundet in multis menstruis, ad hoc ut sana existat. Aliquando mulieribus deficient menstrua, quia in corpore earum coagulatus est sanguis: vel quia sanguis per alia loca emittitur g) ut per os, aut per nares, per sputum, aut haemorrhoides. Aliquando deficient menstrua ex nimio dolore, vel ira, vel motu, vel timore. Si autem diu cessauerint, suspensionem grauis aegritudinis futurae arguunt. Nam vrina eorum vertitur in ruborem vel in colorem loturae carnis recentis: quandoque in viriditatem, vel liuiditatem, aut in colorem, qualis est color graminis, facies earum mutatur.

TRO-

g) *Ut per os, per nares etc.)* Per mammas quoque, ac oculos. Sic Salomon Albertus in Anatomia, ut auctor est Sennertus Medicin. Instit. L. II. P. III. sect. I. c. II. annotauit, cuidam feminae singulis mensibus sanguinem praescriptione naturae vacuari solitum e mammis liberalissime prorupisse; aliis eundem per nares euacuum esse, obseruatum est. Hippocrates hoc iam obseruauit, euacuationem sanguinis per nares proficere cum Aphor. v. 39. ait: *Ευκρινε τὸν*

TROTVLAE

DE MVLIERVM PASSIONIBVS ANTE,
IN ET POST PARTVM, CVM RELIQVIS
PARTVM ITEM INSERVIENTIBVS LIBER
EXPERIMENTALIS MIRIFICVS.

C A P. I.

De retentione mēstruorum.

Si igitur deficient mēstrua, et mulier sic corpore extenuata, tunc phlebotometur ei vena quae est sub cauilla pedis interiori, quae dicitur Saphena, primo die de vno pede, sequenti die de altero: et extrahatur sanguis secundum quod virtus exposulauerit. Quia in omni aegritudine generaliter cauendum et respiciendum est, vt non nimis debilitetur aegrotans. Refert enim Galenus de quadam muliere, cui defecerant mēstrua per nouem menses, et in toto corpore

Λ 5 con-

κατακνήϊον ἐκλιπόντων, ἡμερὰ ἐκ τῶν ἰσθμῶν ῥοῦνηκε, ἀγαθόν.
Mulierī mēstruis deficientibus, e naribus sanguinem fluere, bonum. cf. et Cels. L. II. c. 8. et Hippocr. de Morbis Virg. III. 2. Dodonaeus autem c. 15. obseru. medic. se obseruasse refert in virgine quadam sedecim annorum, cui cum menses non succederent, naturam per oculos sanguinem expellere conatam esse, vnde virginem lacrymas fudisse sanguineas.

constricta fuerat et extenuata, cui et penitus defecerat comedendi appetitus: unde ipse extrahere ei sanguinem de praedicta vena per tres dies, de vno pede primo die lib. I. secundo die lib. I. de altero pede, tertio die de primo pede iterum unc. VIII. et ita in breui spatio rediit color et calor viuificus, cum debita totius corporis habitudine. Cum autem venter fuerit constipatus, sicuti frequentissime restrictis mensibus accidit, tunc accipe pilulas de quadam medicina competenti, et acue eas prout ipsum acumen poterit sustinere: et ei tribue. Postea phlebotometur de Saphena. Deinde baluetur: et post balneum bibat de *i*) calamento, vel *k*) de nepitha, vel mentha coctis cum melle: ita tamen

h) De vno pede primo die lib. I. etc.) In vniuersum loco regulae haec verba non accipienda esse quilibet videt, potius Celsi praeceptis mos est gerendus, dicentis: *In mittendo sanguine non tam annos medicus numerare, quam vires aegrotantis aestimare debet*, L. II. c. 10.

i) De calamento.) Tres species refert Dioscorides Mat. med. L. III. c. 34. omnesque easdem fere vires obtinere Galenus de Facult. simpl. medicam L. VII. c. 1. tradit, mensibusque prouocandis maxime aptam esse eam speciem, quae calamentum dicitur, asserit.

k) De nepitha.) Altera est species calamenti, de qua consulendus Dioscorides l. c. quam voce Romana sic dici nonnulli produnt, cum a plerisque nomine calamenti comprehendatur.

men, ut septem partes sint aquae, et nouem mellis. Et saepe balneum est intrandum. Et post balneum bibat de *m*) Diatesaron, cum decoctione mellis et aquae. Conferunt etiam omnia diuretica, ut *n*) foeniculus, spica, apium, cuminum, *o*) ameos, carui, petroselinum, et similia. Hae omnes herbae, vel singulae, in vino coctae, vel cum melle, et potatae conferunt. Galenus sic docet: *p*) Artemisia trita cum vino, vel in eo cocta, et potata multum confert. In balneo non modicum iuuat, si bibatur nepita, vel in ipso balneo coquatur: vel

viri-

l) *Uc! mentha.*) De qua Dioscorid. L. III. c. 33.

m) *Diatesaron*) Potionis nomen, quam Antiqui toto anno continuandum censuere ad coxendicis dolorem. Quatuor ex remediis composita est, hoc modo: Charaedyos pondo, gentianae unciae nouem; Aristolochiae rotundae unciae nouem; Rutae seminis sicci sextarius: Haec tusa dantur quotidie ad annum ieiuno ex duobus aquae frigidae cyathis v. Paul. Aeg. L. III. c. 77. Non confundi debet cum emplastro eiusdem nominis.

n) *Foeniculum*) Hanc vim foeniculo tribuit Diosc. Mat. med. L. III. c. 45.

o) *Cuminum*) Aldus ubique *cuminum* dat.

p) *Artemisia*) Galeni locus est XVI. de facult. simpl. medic. p. 160. ed. Charter. v. Diosc. L. III. c. 127. Plinius in Hist. Nat. L. XXVI. c. 92. ex quo totidem verbis haec mutuata esse videntur.

viridis trita ligetur super ventrem, vel sub vmbilico, vel super vmbilicum. Vel decoquatur in olla, et mulier supponat fellam perforatam, et desuper sedeat cooperta vndique, et per calanum, vel embotum fumus exeat: vt is introceptus, penetret ad matricem. Valet etiam artemisia cum his herbis, admixta thapsia q) sifereos, saluia, origanum, cyminum, ameos, sabina r), melissa, s) pulegium, anethum, t) betonica, anisum, u) satureia, x) leuisticum: quae omnes

q) *Sifereos*) Mendum subesse conicio, cum potius legendum sit vel siferis, vel sifari e Graeco *σιφερος* de quo Diosc. L. II. c. 106 et Plin. H. N. L. XX. 17. Aldina editio habet *Sifeleos*, mendose.

r) *Sabina*) Aldus *Sauina* edidit, mendose.

s) *Pulegium*) v. Diosc. L. III. c. 30. Plin. H. N. XX. c. 56. Q. Serenus Sammonicus c. 35. qui ita canit:

Pulegii calido purgatur femina potu

t) *Betonica*) v. Diosc. L. IV. c. 1. diuersa a Betonica Aeginetae, quam pulegii similitudine describit.

u) *Satureia*) v. Diosc. L. III. c. 36. Alio nomine thymbra vocatur. v. Columella IX. c. 4. at eam paulo post a thymbra differre, asserit, sic enim canit:

Et satureia thymi referens, thymbraeque saporem.

x) *Leuisticum.*) Alias Ligusticum, a Ligusticis alpiibus, vbi frequens nascitur, et vnus literae mutatione Libypticum dictum, v. Diosc. L. III.

omnes, vel quaedam ex eis decoquantur in aqua: et impleatur sacculus vnus lana minutissime carpinata, vt sit in modum puluinaris; et intingatur in illa aqua, et calicus ventri apponatur: et hoc fiat frequenter. Item puluis optimus ad prouocanda menstrua. Recipe y) flammulae, cicutae; z) castorei, artemisiae, centonicae, myrrhae, centaureae, salviae ana, fiat puluis et detur drac. l. cum aqua decoctionis sabinae et myrrhae: et in balneo bibat, et detur vna vice scrup. l. Si autem matrix indurauerit, adeo vt istis adiutoriis non possint educi menstrua, Recipe a) fel tauri, aut aliud fel, et puluerem nitri, et cum succo apii, vel hyssopi misceantur: et intingatur ibi lana carpinata: et post prematur vt sit dura, rigida et longa, vt in vul-

y) *Flammulae.*) Est altera species Clematidis Dioscor. de qua L. IV. c. 6. Flammula dicitur, quia flammae modo vrit ac exulcerat.

z) *Castorei*) v. Plinius H. N. L. XXXII. c. 13. Diosc. L. II, c. 22. Pontici castores fuerunt praestantissimi, de quibus Virgil. Georg. L. I. v. 58. *Virojaque Pontus castorea.*

a) *Fel tauri*) v. Plin. H. N. L. XXVIII. c. 77. Quo ex loco omnia deprompta sunt, sic enim Plin. *Mulierum purgationes adiuuant fel tauri in lana succida appositum. Olympias Thebana addit hyssopum et vitrum — et fel taurinum cum apio appositum obois binis. Vulvas et pino ceruino suffire potest. etc.*

vuluam possit immitti; et intromittatur. Aut fiat aliud pessarium in modum virgae virilis: et sit concavum: ibique imponatur medicina, et iniiciatur.

C A P. I I.

De paucitate mēstruorum.

Mulieres autem quaedam sunt, quae cum veniunt ad tempus mēstruorum, nulla, vel modica habent. Quibus sic subvenias: Accipe *b)* radices salicis rubeas, de quibus ligantur dolia, et bene ab exteriori cortice munda, et pista: et eas pistatas cum vino, vel aqua, decoquendo distempera, et mane de ista coctione da ad potandum haustum tepidum. Si autem gravius laborat, tunc dabis ei cibum istiusmodi factum. Rubeam maiorem et malvam teras: et cum farina hordei, et albumine ouorum misce: et inde fac crispellas. Valent etiam huiusmodi herbae suffumigatae ad prouocanda mēstrua. Vel ad idem accipe verbenam, rutam, et pista fortiter, et coque cum larido: et da patienti ad comedendum. Postea radicem salicis subtilis, et radicem rubeae maioris tere, et da succum patienti cum vino. Mulieres item si pauca habent mēstrua, et cum dolore ea emittunt; Recipe betonicae, pulegii, centonicae, arte-

b) radices salicis) v. Plin. H. N. XXIV. c. 37. ad omnes collectiones intus extrahendas utiles asserit.

artemisiae ana M. I. decoquantur in aqua, vel vino vsque ad consumptionem duarum partium. Postea fiat colatura per pannum, et bibatur cum succo fumi terrae. Si vero diu defecerint menstrua; Recipe *c*) rheupontici drac. II. artemisiae siccae, piperis ana drac. I. et fiat inde pulvis: de quo bibat mane et sero per tres dies: et cooperiat se, ita vt sudet. Item Recipe menthae, pulegii, rutae ana M. I. *d*) salis gemmae drac. IV., plantae caulis rubrae M. V. et tria capita *e*) porri. Haec omnia coquantur simul in olla rudi, et bibat in balneo. Aliud, Recipe radicem *f*) ireos, leuisticum, herbam nepitam, coloquintidem *d*) foeniculum, ru-
tam

b) *Rheupontici*) Melius *Rhaponticum*, sic enim dictum, quia ex riguis ad Rha fluuium supra Pontum et Bosporum septentrionali tractu aufer-
tur, Celso simpliciter radix Pontica appellatur. v. Diosc. L. III. c. 2.

d) *Salis gemmae*.) Id in Cataloniae regionibus olim effossum, et in cibis et remediis usurpatum est.

e) *Porri*.) Duo sunt genera, vnum *sectium*, a secando dictum, quod frondem illi supra terram eminentem auferre solerent, alterum *capitatum*, eo, quod in caput crescat. De posteriori Tro-
rula. v. Diosc. L. II. c. 143.

f) *Ireos*.) Florentinae videlicet. Iris autem ap-
pellata a similitudine caelestis arcus, v. Diosc. L. I. c. 1.

g) *Coloquintidem*.) Duplex genus coloquinthis
Mefus constituit marem et feminam, qui mari femi-

tam: coquantur in vino, et illud vinum potui detur. Vel decoquantur in vino, sabina, apium, foeniculus, petroselinum, leuisticum, nepita: et bibatur. Item Recipe, *b*) tanacetum, trifolium, artemisiam: frixa cum butyro, et pone supra umbilicum. Medicus quidam in regione Franciae sic fecit. Recipe Zinziber, folia lauri, et sabinam: trita simul in olla rudi, ponantur super carbones viuos in sede perforata, et desuper sedeat mulier, et fumum recipiat per inferiora: et sic menstrua redibunt, fiat ter, vel quater, vel pluries. Mulier autem quae huiusmodi fomenta frequentat, vuluam suam ab intra inungat vnguentis frigidis, ne nimis caleat. Valet etiam ad praedicta fumigatio de cymino, foeniculo, anetho, calamento, mentha, vrtica, omnibus simul commixtis, vel simplicibus. Valet ad idem scarificatio, et similiter coitus. Nocet autem minutio facta in manu. Comedat, si sit sine febre, porros, cepas, piper, *i*) allia, cuminum, pilces squamosos: et vinum forte bibat, si sit sine dolore capitis, et
 fine

feminam etiam praefert, v. Diosc. L. IV. c. 158.

- b*) *Tanacetum*) Est species Artemisiae, in officinis Atharasia dicta, v. Diosc. L. III. c. 102.
i) *Allii*.) Tria in vniuersum allii sunt genera, primum hortense et satiuum, alterum syluestre aphroschorodon, vltimum, Cyprum, anguinum et vrsinum dictum, tertium aeque syluestre, scorodoprason appellatum v. Diosc. L. II. c. 145.

sine defectione neruorum, et sine febre; quia in omni febre nocet vinum.

C A P. I I I.

De nimio fluxu mēstruorum.

Sunt et aliae mulieres praedictis contrariae; quae habent menstrua inordinate fluentia: quibus hoc modo succurras. Accipe soleas veteres, et pulueriza: et folia lauri fac decoqui: et his decoctis, fiat suffumigium. Vel accipe cineres calidos, et misce cum vino rubeo calido, et confice in modum pastae: et malaxa, et inde accipe ad modum cunei mediocris, et inuolutum panno lineo nouo impone adhuc tepidum. Vel accipe saluim, et camphoram: pista fortiter, et fac crispellas cum vino, et coque super tegula: et da patienti ad constringenda menstrua. Postea accipe semen vrticae, et cornu k) cerui, et da patienti puluerem inde factum, ad bibendum cum vino. Restringit etiam hoc aliud remedium, quod sic fit. Accipe cornu cerui puluerizatum cum cinere vrticae mortuae, et distempera cum aqua pluuiali: et da bibere, non omitendo praedictum suffumigium: quod confortat matricēs frigidas. Confortantur etiam isto fumigio. Recipe l) spicae nardi, caryophyl-

k) *Cornu cerui.*) Vim istam cornu cerui tribuit, Sext. Platon, c. 1, de ceruo n. 6

l) *Spica nardi*) νάρδου σάκος, nomen accepit a similitudine torinae cum spica. Ea est multiplex,



ryophylli, nuces muscatae ana, pulverizata pro-
 ficiantur super prunas. Valent et caeterae pur-
 gationes quas diximus. Abundant quoque
 menstrua praeter naturam. Quod contingit,
 quia venae matricis sunt amplae, et apertae.
 Vel quia quandoque crepantur, et fluit inde
 sanguis in multa quantitate: et apparet sanguis
 fluens rubeus et clarus. Quia ex multitudine
 cibi et potus generatus est sanguis multus, qui
 cum non possit intra vasa contineri, prorumpit
 extra. Vel contingit quandoque propter nimiam
 sanguinis calefactionem, ex cholera redundante ex
 felle, quae facit sanguinem ebullire: adeo ut
 non possit in venis contineri. Vel quia phleg-
 ma falsum admiscetur sanguini, et ipsum atten-
 nuat, et a venis facit prorumpere extra. Si
 sanguis, qui egreditur sit citrinus, aut vergat
 ad citrinitatem, ex cholera contingit. Si ad
 albedinem ex phlegmate. Si ad ruborem, ex
 sanguine. Huiusmodi aegritudines emergunt,
 propter humores interius corruptos: quam cor-
 ruptionem natura dedignatur sustinere. Quan-
 doque contingit propter m) diabrosim, ex qua
 saepif-

praestantissima Indica, dein Gallica, post Creti-
 ca et tandem quae ex Cilicia adfertur, v. Diosc.
 L. I. c. 6.

m) *diabrosim.*) *διάβρωσις*, erosio, est oris alicuius
 valis apertio a re acri et mordaci facta, siue a
 valentioribus remediis v. Galen. de loc. aff. L.
 V. c. 5.

saepissime sequitur mors. His de causis mulier dilcoloratur, et macrescit: et si diu durauerit, in hydropisim de facili conuertitur. Hepatis enim substantia in frigidatur propter subtractionem sanguinis, per quem deberent membra in suo calore naturali conseruari. Vel quandoque accidit propter defectum caliditatis succositatem digerere nequeuntis, et debito modo humores commutare non valentis. Si ergo sanguis est in causa, minuendus est de manu, vel brachio, ut sanguis sursum prouocetur. Sumendum est etiam aliquod leue catharticum. Si cholera sit in causa, quae a felle redundat, detur trifera faracenicæ, et rosata nouella cum succo violarum, et scariolæ. Si contingat ex abundantia phlegmatis et cholerae nigrae, detur aliqua *u)* hierarum cum aqua calida, vel vino secundum alios, et bibat. Post purgationem vero apponenda sunt quaedam constrictiua exterius et interius, quae constringant. Poter ergo aquam, in qua coctæ sint cortices mali granati, *o)* psidia, flores rosarum rubearum, gallæ, nux muscata, folia quercus, *p)* bedegar, rubus;

B 2 agri-

u) Hierarum) Mendose procul dubio editum, malle hieraceum, vel hieracia, vti Plin. H. N. L. XX. 26. v. Diosc. L. III. c. 61.

o) psidia) Nomine a pharmacopolis corrupto sic *ειδιον* vocatur, de quo Diosc. L. I. c. 127.

p) Bedegar: Est Graecorum *αλευθα λευκη* spina alba v. Diosc. L. III. c. 12. siue nostra spina alba syluestris.

agrimonia, plantago. Haec omnia immixta, vel simplicia iuuant. Post cibum, vel inter cibaria detur eis puluis lapidis haematitis cum aqua pluuiali diltemperatus ad potandum: vel puluis coralli, et gummi balaustiae, feminis myrti, portulacae, boli armeni: et puluis de cornu cerui, plantaginis, centinodii, sanguinis draconis, spodii, feminis cydoniorum. Comedat gallinas coctas in pane, pisces recentes in aceto coctos, panem hordeaceum. Bibat ptisanam de hordeo factam, in qua primitus coquatur radix plantaginis, et bulliat cum ptisana, et melius erit. Postea bulliat in aqua marina donec crepat, et corrugetur: et apponatur acetum, et coletur per pannum, et detur ad potandum. Bibat etiam vinum rubeum cum aqua marina lymphatum. Ponantur quoque ventosae ignitae inter mammitas, quae sanguinem superius trahant. Iniiciatur succus plantaginis per pessarium. Valet etiam succus q) *semperuiui*, si cum vino bibatur albo. Similiter succus perficariae valet super ventrem linitus. Item accipe duo frusta laridi lata cum sale, et desuper aspergatur succus coriandri cum semine eius, et puluis absinthii, et vnum frustum ligetur super umbilicum, et alterum super renes. Fiant etiam duo emplastra de absinthio cum axungia, et
ligen-

q) *Semperuiui*,) Siue Aizoi Plin. L. XXV. c. 102. et Diosc. L. IV. c. 77. Aldus dat *semperuiuae*, satis recte, sed emendauimus *semperuiui*, cum haec vocis flexio paulo sit notior.

ligentur super renes et ventrem: quibus si addantur folia myrti trita, melius erit. Aliud. Accipe testas nucis maioris, et fac puluerem, et da in potu cum aqua marina. Postea fac emplastrum de stercorebus ouium, vel cati cum axungia, et superponatur ventri et renibus. Vel fac puluerem de testis ouorum, et da in potu per tres dies cum aqua tepida, quantum poteris leuare cum duobus digitis.

C A P. I V.

De suffocatione matricis.

Quandoque suffocatur matrix: quandoque videlicet sursum tollitur; unde prouenit subuersio stomachi, et appetitus debilitatio ex debilitate cordis. Quandoque patiuntur syncopen, et ita euanescit pulsus, quod penitus non sentitur: ex eadem causa. Quandoque mulier contrahitur, ita quod caput iungitur genibus, et visu caret, et vocis officium amittit, nasus distorquetur, labia contrahuntur, et dentes stringit, et pedus sursum praeter solitum eleuatur. Galenus refert de quadam muliere, quae ita patiebatur, et amiserat pulsus et vocem, et erat quasi defuncta: quia exterius nullum signum vitae apparebat: sed tamen circa cor natura adhuc parum caloris retinuerat. Vnde quidam iudicabant eam mortuam. Galenus vero lanam bene r)

B 3

car-

r) *carminatam*). Ita emendauimus pro *carpinatam* in Aldina ed. sic iubente Varrone de Ling.

Lat.

carminatam naribus et ori eius apposuit, cuius motu eam viuam recognouit. Contingit autem hoc mulieribus, quia sperma nimium corruptum abundat in eis, et in venenosam naturam conuertitur. Et praecipue accidit illis, quae viris non vtuntur, maxime viduis, quae antea consueuerant vti carnali commercio. Virginibus etiam solet euenire, quae ad annos nobiles peruenerunt, et viris vti non possunt: cum in eis maxime abundet sperma, quod per masculum natura vellet educere. Ex hoc autem semine superabundante, et corrupto, quaedam s) fumositas frigida dissoluitur, et ascendit ad partes quasdam, quae a vulgo collaterales dicuntur: quia cordi et pulmone sunt vicinae, et caeteris instrumentis vocalibus, vnde solet fieri impedimentum vocis. Huiusmodi morbus solet etiam principaliter oriri ex defectu menstruorum. Ideo cum deficient menstrua, et semen superabundet, tanto molestior et prolixior est aegritudo, maxime quando partes occupat altiores. Summum igitur remedium est, vt manus et pedes mulieris moderate fricentur cum oleo laurino, et naribus applicentur ea, quae sunt

Lat. L. VI. p 75. *Carminari dicitur tum lana, cum caret eo quod in ea est nequam. De lanæ vsu v. Plin. L. XXIX. c. 9.*

- s) *Fumositas*) Non adeo nos falli existimamus, si fumositatem hic descriptam cum Francogalorum *les Vapeurs* maxime conuenire statuamus.

sunt grauis odoris; vt galbanum, opopanax, castoreum, pix, lana combusta, pannus lineus combustus, et pellis combusta, et assa foetida. Sed tamen oleis et vnguentis, quae sunt odoris aromatici, debent vuluae earum inungi intus et extra: qualia sunt oleum muscellinum, et oleum nardinum, sed super omnia melior est inunctio facta cum Zibeto. Haec enim menstrua attrahunt, et prouocant. Praeterea apponantur ventosae in inguine et pectine. Item in sero accipiat diacyminum cum succo apii, vel nepitae, vel cum syrupo de calamento. Vel Recipe castorei, piperis albi, costi, menthae, apii ana drac. I. terantur, et distemperentur cum vino albo vel dulci, et da sero drac. III. t) Priscianus medicus contra hunc morbum praecipit cyminum desiccari, et in potu dari drac. I. vel cochlearia duo. Praecipit etiam vulpis priapum, vel caprioli accipi, et inde fieri puluerem, et per pessarium iniici. Ad idem multum valet radix leuistici cocta et trita cum axungia, et ligata super vmbilicum.

B 4

CAP.

t) *Priscianus*) Sic emendauimus, cum prius in Aldina editione erat mendose *Iustianus*, quantum enim scimus, ne vllus quidem medicus hoc nomine extitit. Firmat nostram emendationem Priscianus ipse, quippe qui L. III. ad Victoriam, Gynaecia inscripto, hanc exhibet formulam a Trotula laudatam.

 C A P. V.
De descensu matricis.

Si contingat post partum matricem nimis de loco suo descendere inferius, calefiat auena prius humectata, et sacceolata apponatur. Mouetur autem quandoque matrix de loco suo, et quandoque descendit, et quandoque per vuluam egreditur foras. Et hoc contingit propter neuorum remollitionem, et frigidorum humorum abundantiam. Huiusmodi vero remollitio et infrigidatio contingit ex aere frigido per orificia matricis subintrante, vt quando mulier detecta se directe opposuerit aeri frigido. Vel si super lapidum frigidum diu sedeat. Quandoque contingit ex balneo aquae frigidae; quia per hoc debilitatur matrix, ideo exit de loco suo. Interdum etiam contingit conatum pariendi. Si descendit, et non exit foras, apponenda sunt naibus aromatica; vt balsamus, muscus, ambra, spica, storax et similia. Sed inferius fumigetur rebus foetentibus, vt est pannus lineus combustus, et similia. Fomentetur umbilicus, lana, vino et oleo infusa. Si vero matrix exierit, distemperentur aromatica cum succo absinthii: et ex eis inungatur venter cum penna. Postea Recipe, rutae, castorei, artemisiae ana partes aequales, et decoquantur in vino vique ad consumptionem duarum partium: deinde da in potu. Saccelletur venter et umbilicus de frumento cocto. Postea matrix egressa,

manu

manu apposita restituetur vsque ad locum suum concussa. Postea mulier intret aquam, in qua cocta sunt balaustiac, rosae, cortices mali granati, gallae, u) sumach, myrtilli, glandes, folia et cortices quercus, et nuces cupressi, et lenticula. Deinde fiat stupha, quae multum valet; quia Galenus praecepit eisdem facere stupham de buxo posito in olla super carbones viuos; et mulier sedeat desuper cooperta, et furnum intra se recipiat. Diacta sit frigida et stiptica sine cymino, pipere, et sine omni acumine. De fructibus comedat coctana, mespila, sorba, mala acra et similia. Bibit vinum temperatum stipticitate participans. Experimentum probatissimum ad matricem egressam. Recipe pulueris de corde cerui, foliorum lauri, ana drach. I. myrrhae scrup. I. diltemperentur trita cum vino, et dentur potanda: et sic matrix reuertetur in suum locum.

C A P. V I.

De motu matricis ex suo loco, quae tamen non eleuatur, neque deprimitur.

Aliquando mouetur matrix de loco suo, non tamen iursum eleuatur versus spiritualia, nec per orificium egreditur foras, neque descendit. Cuius signum est: quod mulier sentit dolorem in sinistro latere, menstruorum retentionem,

B 5

distor-

u) *Sumach*) Arabica hac voce *Rhus* appellatur. v. Diosc. L. I. c. 124.



distorsionem membrorum, difficultatem mingendi, torsiones et rugitus ventis. Accipe ergo e contra apium, et foenum graecam, et trita cum vino da potui. Aliud Recipe, agaricum, semen plantaginis, atque satireiae: pulueriza, et da in potu cum vino, vel melle cocto. Ad hoc, vt vulua non moueatur de loco suo, et vt nulla duritia molestetur. Recipe, medullae cerui, adipis anserini, ceræ rubeae, butyri ana vnc. II. quibus addendo foenum graecum, semen lini: coquantur in aqua ad lentum ignem vsque ad plenam decoctionem, et iniiciatur per pessarium. Istud enim est vtile contra piures morbos oris matricis.

C A P. V I I.

De nimia caliditate matricis.

Contingit quandoque matricem distemperari in caliditate, ita quod maximus ardor et calor ibi sentiatur. Cura hoc modo. Recipe opii scr. I. adipis anserini scr. I. ceræ mellis, ana scr. IV. olei vnc. I. albumina duorum ouorum, et lac mulieris: commisceantur et iniiciantur per pessarium.

C A P. V I I I.

De apostemate matricis.

Quandoque nascuntur in matrice inflationes, et apostemata diuersi coloris. Si a felle exiens cholera causa est apostematis, tunc febrem habet

bet et canerum. Si a frigidis humoribus crusa fuerit, tumidum et durum est apostema, et sentit mulier in coxis, anclis, et tibiis grauedinem cum multo dolore. Aliquando nascuntur ibi apostemata ex ventositate, vel ictu, vel aliis laesionibus. Vel ex eo, quod nunquam menstrua deficiunt. Si nascuntur in eminentiori, vel anteriori parte matricis, dolor sentitur circa vuluam, et inde nascitur stranguria. Si apostema fuerit interius in orificio matricis, dolor sentitur circa vmbilicum, et renes. Si in parte posteriori, dolor sentitur in dorso sub costis, et venter constipatur. Si de sanguine, vel cholera rubea sit natum apostema: febris adest continua, vel acuta, sitis, et dolor nimius. Si ergo sit de calida causa, expedit, vt vngantur muliebria, et trahatur sanguis a vena quae cadit sub pede (sicut asserit Galenus) non de manu. Quia nocuum esset in passionibus matricis sursum trahere sanguinem, auferrentur enim menstrua; propterea ab inferiori parte trahatur sanguis iuxta virtutem patientis. Et si fortis fuerit mulier, vt possit sustinere, bis in die minuitur. Postea accipiat in potu aquam eorum, quae mitigant caliditatem; vt est succus morellae, plantaginis, semperuiui, cassilaginis, mandragorae et similium. Fiat etiam emplastrum quod mitiget dolorem, et confortet virtutem; vt de succo portulacae, semperuiui, x) psidiae, plantaginis,

x) *Psidiae*) Hanc veram lectionem restituumus, cum antea in Aldina editione legeretur *psiliae mendose*, procul dubio operarum errore.

taginis, scariolae, et oleo rosato. Postea apponuntur maturatiua, vt semen lini cum butyro, malua, et foenum graecum, cocta cum adipe anseris, vel gallinae, albumen oui, melilotum. De his simplicibus, vel compositis fiat pessarium. Item dicit Galenus, quod multum prodest sedere in aqua, vbi cocta sit spica. Paulus docet fieri pessarium ad duritiem matricis, et inuersionem eiusdem et inflationem, et ventositatem a corpore eiiciendam. Recipe medullae vituli, adipis caponis, meliloti, taxonis ana ad pondus XII. denariorum: medullae cornu scer. III. adipis anserini, gallinae, ana dr. II. mellis dr. II. hyssopi, ceroti ad pondus VII. denariorum. Omnia terantur, et commisceantur, et distemperentur cum lacte mulieris, et oleo rosaceo, et iniiciatur per pessarium, et fiat inde emplastrum.

Si frigidum sit, et generatum ex grossis humoribus, Recipe foenum graecum, melilotum, semen lini, et rutam: coquantur in aqua, et de substantia fiat emplastrum, et succus pessarizetur. Saepe vtatur balneis et emplastris. Diaeta sit subtilis, vt grossities humorum attenuetur. Et si ad saniem volueris apostema ducere, apponantur maturatiua, et cutem rumpentia, vt sanies effluat, sicut semen lini, foenum graecum, farina hordei, cocta simul cum farina tritici, vel fabae cum fimo columbarum syluestrium coctae. Si
autem

autem apostema crepuerit, et sanies inde effluerit z) in vesicam, bibat lac caprinum, vel asinum: et fiat pessarium de pitana et melle, et iniiciatur in matricem.

C A P. I X.

De ulceribus matricis.

Ulceratur quandoque matrix de acumine medicinae, vel materiae a). Quandoque ab exorlu, quod cognoscitur per sanie egredientem, et dolorem, et punctiōnem matricis. Si vulnera sint ex sanie, vel corrosione venae, sanies vergit aliquantulum in nigredinem cum foetore horribili. Primo ergo debent apponi mundificatiua saniei, b) et dolorem mitigantia, id est succus morellae, et plantaginis, cum oleo rosaceo, et albumine oui, cum lacte mulieris, et cum succo portulacae, vel lactucae, quae sint frigidae naturae. Dieta sit frigida. Balneetur in aqua, vbi cocta sint rosae, myrtus, foenum graecum,

z) *lac caprinum et asinum*) Vide Dioscor. L. II. c. 26. et elegantem *Flor. Jac. Voltelen*, comment. chemico-medicam de lactis humani cum alinino et ouillo comparatione.

a) *acumine medicinae vel materiae.*) Fusius de eiusmodi exulceratione egit Aetius Tetrabl. IV. Serm. IV. cap. 88.

b) *Sanici*) Plura praesidia commemorat ex Archigene Aetius l. c. c. 89. sq.

graecum, psidia, lenticula, galla, balauftiae, et similia. Si vero venae putrefactae sint, detur sanguis draconis, vel myrrha, vel bolus, vel thus, vel aristolochia longa, et de his simplicibus, aut compositis fiat clystere, vel pessarium. Nec minus valet acacia cum lino per pessarium iniecta.

C A P. X.

De Pruritu vulvae.

Pruritus vulvae si fuerit, accipe camphorum, lithargyrium, baccas lauri, et albumen oui, et fiat pessarium, vel clystere. Galenus dicit, quod pulvis foenu graeci cum sanguine anferis, valet ad duritiem matricis; sicut testatur Hippocrates.

C A P. X I.

De impedimento conceptionis, et de his quae faciunt ad infraegnationem.

Quaedam mulieres c) sunt inutiles ad concipiendum: vel quia nimis tenues sunt et macrae: vel quia sunt nimis pingues, in quibus caro circumvoluta officio matricis, constringit eam, nec permittit semen viri in ipsam intrare. Quaedam habent matricem ita lenem et lubricam,

c) *Quaedam mul.*) Ad totum hoc caput illustrandum confertur potest Hippocr. liber de his quae uterum non gerunt, qui vel tanquam fons limpidissimus, ex quo Tricula sua haurit, considerandus est, vel commentarii optimi instar esse potest.

cam, quod semen receptum nequeat in ea retineri. Quod contingit quandoque vitio viri, qui habet semen nimis tenue, quod infusum matrici, liquiditate sua foras labitur. Quidam etiam viri testiculos habent valde frigidos, siccos: illi raro, aut nunquam generant: quia semen eorum inutile est generationi. Manifestum est igitur, quod conceptio impeditur tam vitio viri, quam mulieris. *d)* Si vitio mulieris, hoc dupliciter contingit. Vel ex nimia matricis caliditate, vel humiditate. Matrix enim quandoque sua lenitate praeter naturam sperma iniectum retinere non potest. Et quandoque praenimia humiditate sperma suffocat. Et quandoque ex nimia caliditate matricis semen comburente, nequit concipere. Si ergo praenimia caliditate et siccitate matricis mulier non posset concipere, haec erunt signa. Labia vulvae apparent ulcerata, et tanquam boreali vento excoriata cum maculis rubeis: adest et sitis assidua, et calus capillorum. Haec ergo cum videris, et mulier triginta annos habuerit, incurabilem iudicauimus. Si autem fuerit iuuenula, neque passio diuturna, sic ei subvenias. Accipe *e)* maluam, artemisiam, et in aqua decoque,

d) viri et mulier.) De causis sterilitatis utriusque sexus elegantes et doctas dissertationes nuper scripsit Vir Ill. Exp. atq. Cel. D. I. Gotfr. Grunerus, quas hic conferre maxime iuuabit.

e) Accipe) Virtutem horum praesidiorum tantam esse, quanta praedicatur, cum ignarissimis me ignorare fateor.

coque, et cum tali decoctione ter vel quater fumiges patientem: inter quas fumigationes, suppositoria, et etiam pessaria vulvae cum oleo muscellino et modico musco facies, vt matrix confortetur. Sed in die septimo postpurgationem, vel fumigationem factam, accipe de trifera magna ad modum glandis, et inuolue in bombace, et inde suppositorium facies vulvae, vt beneficio talis suppositorii et tot fumigationibus recipiat aliquam confortationem, lenitatem et lanuginem. In sequenti vero die eam facies cum viro coire. Eadem quoque cura sequenti septimana, si expediat, vtars, faciendo suffumigationes praedictas, et alia, vt diximus, beneficia adhibendo. Hoc facies quousque praedicta symptomata remittantur: et cum his, vel ter facies coire in hebdomada; quia sic citius poterit impregnari. Si vero prae nimia humiditate matricis concipere non possit, haec erunt signa. Oculos habebit lacrymotos assidue. Cum enim matrix crebro per nervos alligata sit, necesse est, vt cerebrum matrici compatiatur: vnde si matrix nimiam in se habet humiditatem, ex ea cerebrum impletur, quae ad oculos redundans, eos inuoluntarie cogit emittere lacrymas. Et quod cerebrum matrici compatiatur, signum est alienatio matricis ex menstruorum retentione. Purgetur ergo in primis cum f) Theodotio eruptio,

f) *Theodotio*) Aldus ediderat *Theodoricon* mendose, quare nos emendauimus *Theodorium* et quidem

eruptio. Tumque tres vel quinque pilulas de eodem Theodotio, vel Paulino praecipimus fieri, etiam in bombace, ne dissoluatur, inuolui, et quantum prudenter possibile per pudenda intromitti. Si vero matrix non bene purgata fuerit, in alio die eodem modo pessarium de trifera, cum modico mulco ei facies. Et hoc tam diu continuabis, donec a superfluiditate, humiditatem euacuatam cognoueris. Et postea accipe parum de mulco cum oleo muscatellino; vel alio odorifero: quod iterum per vuluam intromittatur. Et si bene purgata fuerit, sentiet odorem in ore: vnde si quis eam oscularetur, crederet eam muscum in ore tenere. Item si fitim propter hanc purgationem habuerit, scias eam bene purgatam esse: quare ita purgata frequenter coeat, et concipiet. Quod si vitio viri impediatur conceptio, si hoc aut defectu spiritus sperma impellentis, aut defectu spermaticae humiditatis, aut defectu caloris. Si ex defectu

quidem paruum, quod et Paullinum appellatur ab auctore Paulo Aegineta, cuius compositionem ex L. VII. de Re medica c. 6. hic exhibere placet. Θεοδότιον τὸ μικρὸν. Στίμματος, δρανίας ἀνὰ λ. α'. χαλκοῦ Κσ λ ἢ Ψιμαθίου λ. δ'. γυύρης λ. δ' ἰοῦ λ. β'. ἀλίης, μυρανίου, λυκίου ἀνὰ λ. κ. ὕμβριου ὄμας. *Collyrium Theodotium paruum. Stibiae, araciae, singulorum drachm. XX. aeris vsti drachmas octo, cerussae drachmas IV. myrrhae drachm. IV. aeruginis drachm. II., aloes, succi papaueris, lycii singulorum drachmam unam, aqua pluuia.*

fectu caloris, signum est quod non appetit coitum. Vnde oportet talibus renes inungere cum *g)* *arrogon*. Vel accipe semen erucæ, et *b)* *euphorbium*, et in puluerem subtilem redige, et cum oleo mulcatellino et pulegino misceas, et inde renes inungas. Si autem fiat defectu spirituum, signum est, quia appetit, sed non erigitur virga. Cui succurrimus cum unguento multorum spirituum generatio. Si vero defectu spermatis, signum quia cum coit, nihil, aut parum seminis emittit. Huic subuenimus cum augmentantibus et generantibus spermata, ut sunt cepæ, pastinacæ domesticæ, et similia. Si mulier fuerit sterilis, aut vir, hoc modo percipies. Accipe duas ollas, et in utramque pone cantabrum, et in vnam earum cum cantabro infundas de vrina viri, et in alteram de vrina mulieris: et sic ollæ permittantur per nouem, vel decem dies. Et si sterilitas sit vicio mulieris, inuenies vermes multos, et cantabrum

g) arrogon) Vix veram lesionem esse hanc mihi persuadere possum, neque tamen video, quomodo medela huic sit loco afferenda, forte non fallimur si substituamus, *orobo*, vel *origano*, quibus eiusmodi inesse creditur virtus.

h) euphorbium.) Vbique fere per *f.* scriptum in hoc libello inuenimus *euforbium*, quod et quidam Italorum imitati esse videtur; sed aperte aduersus regulas Grammaticas, qua ab *eu* et *cap-*
tu deducitur, et omnes medici *euphorbium* exhibent.

cabrum foetidum in eius olla; et e contra habebis indicia similia ex altera vrina si sterilitas sit vitio viri. Si vero in neutra vrina talia signa videris, neuter erit in causa sterilitatis: ideo tunc poterunt medicinae beneficio adiuuari ut concipiant. Vir si volunt concipere masculum, vir accipiat matricem et vuluam leporis et faciat exsiccare, et puluerizatam distemperet cum vino, et bibat. Similiter mulier faciat de *k)* testiculis leporis, et in sine menstruorum iaceat cum viro suo, et tunc masculum concipiet. Aliud remedium est; accipiantur hepar, et testiculi parui porci. quem solum scropha edidit, et siccentur: fiat inde puluis, et detur in potu masculo vel mulieri non potentibus generare, et concipient. Item si mulier vult impraegnari, accipiat testiculos verris, vel apri, et faciat desiccari, et in puluerem redigi, de quo mulier cum vino bibat post purgationem menstruorum: deinde coeat cum viro, et concipiet. Nota, dicit Galenus, quod mulieres, quae habent vuluas angustas, et matrices strictas, non *l)* debent viris uti, ne concipientes moriantur. Sed cum non omnes illae possint abstinere, indigent nostro auxilio. Ideo si illarum quaedam ob periculum

C 2

culum

k) testiculis.) Hoc et reliqua praesidia vim aliquam prorsus singularem continere creduntur, sed experientia hucusque contrarium docuit.

l) non debent viris uti) Regula sane elegans, cuius exceptiones autem omnes propemodum feminae amant, neque abstinentia uti cupiunt.

culum mortis non auderet concipere, illa secum carne nuda ferat matricem caprae, quae nunquam habuit foetum. Inuenitur lapis quidam dictus Gagates, *m*) qui gestatus in collo, vel etiam gustatus, prohibet conceptionem. Item accipe mustelam masculum, et auferantur ei testiculi, et relinquatur viuus: hos testiculos ferat secum mulier in sinu suo, et ligat eos in pelle asnerina, vel in alia pelle, et non concipiet. Si autem laesa fuerit in partu, et prae timore mortis non amplius vult concipere, ponat in secundina tot grana cataputiae, vel hordei, quot annis vult sterilis permanere. Et si in perpetuum vult sterilis permanere, plenam manum imponat.

C A P. X I I.

De formatione seminis concepti.

Primo mense fit purgatio sanguinis. Secundo fit expressio sanguinis et corporis: *n*) tertius ungulas et capillos producit. Quartus, motum, et ideo nauseant mulieres. Quinto accipit foetus similitudinem patris, vel matris. Sexto, neruorum constrictionem. Septimo, ossa et neruos confirmat. Octauo, mouet natura, et infans

m) *Gagates*) Quae vis huic lapidi, vel aliis eiusmodi praesidiis inesse credebatur olim, effectu destituitur.

n) *tertius*) Aldus ex errore operarum *tertio*,

fans rerum beneficio repletur. Nono, a tenebris procedit in lucem. o)

C A P. X I I I.

De situ foetus in utero matris.

Refert Galenus, p) quod ita ligatur foetus in matrice, sicut fructus in arbore: qui cum procedit a flore, tenerrimus est, et ex quolibet occasione corruit: sed cum adultus fuerit, et aliquantulum maturior, et firmatus adhaeserit arbori, non de leui occasione corruet. Cum autem totaliter maturior fuerit, per se, et non alia occasione decidet. Sic q) cum primo educitur infans ex semine concepto, tenera ei non firma sunt eius ligamenta, quibus alligatur matri, et ideo de leui emittitur per abortum. Vnde mulier propter tussim, diarrhoeam, vel dysenteriam, vel motum nimium, vel iram, vel mi-

C 3

nuti-

a) *In lucem.*) Multa huc pertinentia inuenies apud Hippocratem de natura pueri, partu septimestri et octimestri, aliosque medicos, quamquam meliora apud recentiores hac de re leguntur, quippe qui magis magisque ex culto anatomiae studio maiorem notitiam adepti sunt.

p) *Galenus*) L. XV. c. 4. Tom. I.

q) *sic cum primo educitur infans*) Legi omnino merentur quae hac de re satis bene differit Theophilus Protospatharius, de hominis fabrica, L. V. c. 21. de foetu ad foetumque pertinentibus, et c. 22. in repetitione huius materiei.



nutionem sanguinis potest foetum amittere. Cum vero infusa r) est anima in puero, paulo firmitus adhaeret, neque cito labitur. Sed cum puer maturauerit, naturae officio cito educitur. Unde Hippocrates dicit, quod si mulier indigeat purgatione, vel minutione, haec non facias ante quartum mentem: sed in quinto, vel sexto potest purgari, vel minui, si necesse fuerit: sed tamen moderate cum cholagogo, vel apozemate, cum cautela, prout virtus patientis poterit pati: ultra vero et ante hoc tempus, periculosa erit euacuatio. Maturato tandem tempore partus s) puer mouet se vehementius, et nititur ad egressum: cum ipsius temporis natura vuluam aperiri facit: ut foetus inueniat sui exitus libertatem: et ita foetus, de cubili suo, scilicet de secundina, naturae vigore expellitur.

C A P. X I V.

De signis impraegnationis.

Ad cognoscendum, vtrum mulier gestet masculum, vel feminam, accipe aquam de fonte, et mulier extrahat duas vel tres guttas sanguinis,

r) *Infusa est anima*) Auctor systemati *inducis* fauere videtur. Me cum ignarissimis ignorare fateor, quomodo anima in corpus humanum intromittatur, sapientiorum itaque iudicio tota res relinquenda.

s) *puer*) cf. quae hac de re Hippocrates dicit L. de natura pueri.

guinis vel lactis de dextro latere, et infundantur in aquam: et si fundum petant, masculum gerit: si supernatant feminam. Vnde dixit Hippocrates, t) mulier quae masculum gerit, bene colorata est, et dextram mammillam habet grossiorem: si pallida est, gerit feminam, et sinistram mammillam habet grossiorem.

C A P. X V.

De regimine praegnantium.

Mulier quando incipit impraegnari, cauendum est, ne nominetur coram ipsa, quod non possit haberi; quia si postulauerit, et non detur ei, dat occasionem abortiendi. Quod si appeteret argillam vel cretam, vel carbones, dentur ei u) fabae coctae cum zuccaro. Instante autem tempore partus saepe balneanda est mulier: et inungatur venter eius cum oleo oliuarum, vel cum oleo violarum: et comedat

C 4

cibos

t) *Hippocrates*) Locus est Sect. V. Aphor. XLII.

Γυνή ἰσχυρός, ἢ ἰσὺν ἄλλαν κῦβει, θυχερὸς ἐστίν, ἢ δὲ θῆλυ ἀδύχητος, ex Ioh. Frid. Clossii interpretatione:

Tristis in ore color praegnantis est quando puellam,

Laetus, quando marem ventre tumente gerit.

u) *Fabae coctae cum zuscara*) Aliud praesidium aduersus eiusmodi picam grauidarum similis prorsus virtutis proponit Aetius Syn. Tetr. II. Serm. I. c. 134. Omphacomeli scilicet, cuius praeparationis descriptionem verbosius ibi praedit.

cibos leves et digestibiles Si vero pedes eius tumuerint, inungantur cum oleo rosaceo, et aceto. Et post caetera cibaria x) comedat volatilia, cydonia, mala granata. Et si venter eius ventositate distendatur, accipe seminis apii, ameos, menthae, ana drac. III. masticeis, caryophyllorum, cardamomi, radices rubeae maioris, ana drac. III. castorei, y) zedoariae, ireos, ana drac. II. zucc. drach. V. fiat pulvis subtilissimus, et conficiatur cum melle: et dentur ei scrup. III. cum vino, hoc enim materiae auferit ventositatem, et abortum prohibet, si prout decet, recipiatur.

C A P. X V I.

De regimine parturientis.

Tempore partus imminente, paret se mulier, vt mos est, obstetrix similiter. Fiat quoque cum magna cautela z) sternutatio, constrictis naribus et ore: vt maxima pars virtutis et spirituum tendat ad matricem. Deinde detur ei

x) *comedat.*) Commentarii loco ad totum hoc caput esse possunt, quae ab Paulo Aegin. L. I. c. 1. et Oribasio, L. I. c. 5. prodita sunt.

y) *Zedoariae)* *Zerloariae* est in Aldina editione ex operarum lapsu.

z) *Sternutatio)* Hanc quoque quam maxime conferre parturientibus ratione secundinarum non statim post partum sequentium docuit Aet. Tetrab. IV. serm. IV. c. 15.

ei decoctio foeni graeci, mucilago lini, et psyllii, vel parum theriacae, vel diateffaron cum decoctione artemisiae in vino. Item de galbano cum assa foetida et myrrha, vel ruta fiant trochisci, et inde fiat fumigium ad nares. Super omnia sibi caueat a frigore. Et non fiat suffumigatio aromatica ad nares, sed ad orificium matricis tutius potest apponi; quia matrix sequitur odorifera et fugit foetida. Ad hoc valent species odoriferae, ut muscus, a) ambra, lignum aloes: et similia pro diuitibus: item et herbae odoriferae, ut mentha, pulegium, calamentum, origanum, et similia pro pauperibus. Notandum, quod sunt quaedam physicalia remedia, quorum virtus est nobis obscura, quae ab obstetricibus facta proficiuntur. Teneat ergo patiens magnetem b) in manu dextra, et confert. Item rasuram eboris bibat. Item corallus in collo suspensus prodest. Similiter album illud, quod inuenitur in stercore accipitris, datum in potu confert. Item in ventre hirundinis, siue in nido inuenitur lapis primogeniti, cuius lotura ad idem valet, et ad alia multa.

C 5

CAP.

- a) *muscus*) Non semper eiusmodi praesidia in subsidium esse vocanda, experientia confirmat, quippe cum delicatioribus quaedam femellae nimium his interdum afficiantur ac syncope corripiantur.
- b) *magnetem*.) Falso hanc virtutem magneti tribui quilibet nobis etiam non monentibus intelligit.

 C A P. X V I I.
De difficultate partus.

Sunt autem quaedam mulieres ita angustio-
 sae in officio partus, ut vix, vel nunquam se
 expediant: quod ex diuersis causis solet proue-
 nire. Quandoque enim calor extraneus super-
 uenit circa interiora: unde ipsae nimis angusti-
 antur c) in partu. Quandoque nimis paruus
 est exitus inatricis: vel quia nimis pinguis est
 mulier: vel quia foetus est mortuus non iuuans
 naturam in suo motu. Et hoc multum contin-
 git mulieri iuueni parienti in hieme: cum na-
 turaliter habeat orificium matricis strictum, quod
 propter frigiditatem temporis et aeris plus con-
 stringitur. Quandoque ab ipsa muliere, calor
 totus exhalat; unde sine viribus relinquitur,
 ideo deficit in expediendo se a partu. Primo
 ergo si acciderit difficultas partus, ante omnia
 recurrendum est ad Deum; deinde ad inferiora
 descendendo, expedit mulieri difficile parienti,
 balnari in aqua, ubi coctae sint maluae, foe-
 num graecum, semen lini et hordeum. Inun-
 gantur latera, venter, et ilia cum oleo viola-
 rum, vel rosarum. Fricetur fortiter, et detur
 ei in potu oxyzaccara, et pulueres menthae, et
 absinthii, drac. I. Prouocetur sternutatio cum
 puluere

c) *in partu*) Multas pariendi difficultatis causas,
 quae toti huic capiti illustrando egregie infer-
 uunt commemorat Aetius in Syn. Tetr. IV, S. IV.

pulvere thuris naribus imposito, vel cum pulvere candidi, piperis vel euphorbii. Ducatur mulier lento passu per domum. Et qui assistunt, non respiciant eam in vultum: quia mulieres solent inde verecundari in partu, et post partum. Si autem puer non egrediatur eo ordine, quo debet, ut si prius tibiae, vel brachijs exeant: *d)* adsit obstetrix cum parva et suavi manu, humectata in decoctione seminis lini, et foenugraeci, reponendo puerum in locum suum, ordine redito. Si vero puer sit mortuus, accipe rutam, artemisiam, absinthium, piper nigrum: et haec trita da in vino, vel aqua ubi cocti sunt lupini. Vel teratur satureia, et ligetur super ventrem: et exhibit foetus siue viuis, siue mortuus. Idem facit verbena potata cum vino, vel aqua, vel aceto. Vel accipiatur aqua salsa, vel rosata, et lac asinae ana, et detur ad potandum. Vel accipiatur butyrum cum melle et vino, et detur ad bibendum. Quod si adhuc tardetur partus, vel si foetus mortuus sit in ea, et non liberetur: accipe rutam, artemisiam, opoponacum, absinthium cum modico oleo et paucis zuccaro terantur, et ponantur super inguina, vel super umbilicum: et melius valet. Item cingatur mulier de spolio serpentis, de quo serpens exiit. Item operatur *e)* lapis Aetites, ligatus

d) adsit.) A'dus dat assist.

e) lapis Aetites) Hoc et alia remedia eiusdem virtutis, quae Auctor tradit, superstitionem alunt, nihilque prorsus proficiunt.

gatus ad femur. Vel alligetur radix cucurbitae renibus eius, et auferatur quam cito foetus exierit, ne matrix exeat post egressum pueri. Proeterea difficulter parturientibus subueniendum est hoc modo. Paretur balneum, et intromittatur mulier: et post exitum fiat fumigium de spica, et similibus aromatibus ad confortandum et aperiendum. Fiant etiam sternutatoria de helleboro albo in puluerem bene redacto. Dixit enim Copho: conuulsentur membra, et rumpantur cotyledones, et sic foetus egredietur. Item his, qui multum laborant, pariendo foetum mortuum sic succurrendum est. Ponatur patiens in linteamine, et tendatur a f) quatuor fortibus hominibus per quatuor angulos, capite patientis aliquantulum eleuato, huc et illuc, ab oppositis angulis fortiter trahatur linteamen, et statim pariet, Deo fauente. Si autem secundina intus remanserit, properandum est ut exeat. Prouocetur ergo sternutatio ore clauso, et naribus. Aut fiat lixiuum de cinere facto de fraxino, cui admiscendo pulueris seminis maluae drac. l. detur ei ad bibendum: et statim vomet. Vel detur ipse puluis de semine maluae cum aqua calida: et si vomat, bonum est. Et iussumigetur subtus oculis de ossibus piscium salforum, vel de vngula

f) a quatuor fortibus hom.) Remedium hoc crude nostris temporibus, meliora edocti, prorsus repudiandum censemus.

gula caballina, vel de stercore cati, vel agnista enim secundinam educunt. Valet etiam decoquere semen lini in aqua calida, et dare ad bibendum. Idem facit bdellium cum vino. Si vero sanguis non exierit post secundinam, fiant ea quae dicta sunt ad menstrua prouocanda. Quod si contingat difficultas partus ex constrictione orificii matricis, cuius cura grauior est inter omnes, ideo tale subiungimus consilium. Prouideat sibi mulier in tribus ultimis mensibus in diaeta, ita ut utatur leuibus cibis et digestibilibus, ut per ea membra dilatetur: qualia sunt vitella ouorum, carnes, et iuscula pullorum, et minorum auium, scilicet perdicum, phasianorum, et piscium squamosorum cum bono condimento. Fiatque ei balneum saepius de aqua dulci, in qua si apponantur herbae mollicatiuae, sicut maturae, et huiusmodi: et melius erit. Sed fugiat balneum aereum et stupham. Et cum de balneo exierit, inungatur g) unguentis calidis, ut oleo laurino, et oleo de semine lini, et axungia anseris, vel anatis, vel gallinae: et haec iniunctio fiat ab umbilico inferius cum praedictis unguentis calidis.

CAP.

- g) unguentis) Nicol. Myrepsus de Antidoris sect. 1. c. 138. laudat Antidotum e croco Esdrae, cuius prophetae et doctoris usum Aetius L. XIII. c. 101. tradit. Dissoluta enim in vino feminis difficulter parientibus si illinatur ventri efficit, ut confestius foetum edant.

CAP. XVIII.

De regimine infantis.

Infantis aures premendae sunt statim et hoc multoties est faciendum. Postea obseruandum, ne lac subintrat aures, aut nares, cum *b)* ablaetatur. Et ligetur umbilicus tribus digitis a ventre mensuratis. Quae secundum retentionem umbilici erit virga virilis maior, vel minor. Et vt rectius loquatur unge palatum cum melle, et nares cum aqua calida. Et facis vnctionibus, semper mundificetur, et mucilagines semper emunganur et emudentur. Puer praeterea saepe est fricandus, et quaelibet eius membra in vnaquaque parte fascia sunt retinenda, et iungenda: et rectificanda sunt eius membra, caput, videlicet, frons, nares, venter et renes temperentur, ne multa ex eis exeat vnduositas, vel humiditas. Quod si aliquid istorum appareat, diutius a solita fasciatione cogitur abstinere, et diutius dormiat. Postea vero in aqua calida *i)* balneetur, et ad suam consuetudinem reducatur: et si opus, de medicinis soporiferis parum detur, vt dormiat. Cutis eius aequaliter est mouenda: quod etiam consuevit fieri post mammillarum susceptione-

h) ablaetatur) Conf. quae de infantibus ablaetandis praecipit Acrius, Tetrabibl T. IV. Serm. IV. c. 27. *quando ablaetandi sunt infantes.*

i) balneetur) Balneorum vsum passim laudant veteres, sed non solum calidorum, sed frigidorum quoque ratio non absque vtilitate habenda est.

sceptionem. In principio natiuitatis oculi cooperiendi sunt: et summopere cauendum est, ne sit in loco lucido. Ante ipsum sint diuersae picturae, panni diuersi coloris, margaritae. Coram eo *k*) cantilenis et facilibus vtendum vocibus nec asperis vocibus cantandum, neque raucis, sicut bombardis. Postquam hora loquendi appropinquit, nutrix eius linguam frequenter cum melle et butyro vngat. Et hoc maxime faciendum est, cum loquela tardatur. Ante eum frequenter est loquendum, et facilia verba proferenda. Cum vero tempus natiuitatis elentium venerit, gingivae singulis diebus cum butyro, et axungia gallinae saepe fricandae sunt, et aqua hordei liniendae, gula et sphondylia inungenda. Quod si venter eius laxabitur, superponatur emplastrum quod fit ex cymino et aceto, et admisceatur zucarum, gummi arabicum, bolus armena, et similia. Si vero venter constringitur, fiat ei suppositorium de melle, et bombace, et stercore muris, et supponatur. Cum tempus aduenerit, in quo comedere incipiet, dandae sunt infanti *l*)
magda-

k) *Cantilenis etc.*) Simile quid innuit Aer. Tetra-
bibl. I. Serm. III. c. 29, praecipiens, vt infantes in
remissione ac hilaritate exercitiorum versari de-
beant.

l) *Magdaleones*) Alias *magdalena*, *magdaliones*,
cylindratae emplastrorum, *sulphuris massae* di-
cuntur, Scribonius Larg. de compos. medicam. c.
69. *magdalidas* appellat, hoc est emplastri ma-
nibus

magdaleones ad modum glandis, facti de zuc-
 c-ro, et similia ac lacte, quos possit in manu
 tenere, et cum eis ludere, et de eis fugere, et
 aliquid transglutire. Caro, quae est in pectore
 gallinarum, et phasianorum, et perdicum est
 ei tribuenda. Et postquam bene capere coepe-
 rit, mammillarum substantiam mutare incipiens,
 eas in nocte fugere non permittas. Ita et in
 die ordinate ducendus est, bene obseruando,
 ne tempore calido a lacte remouetur. Si vnum
 membrum pueri sit maius alio, ad bonam habi-
 tudinem sic potest reduci, si talis dispositio fue-
 rit recens, quia inueterata nullo modo reduci-
 tur. Fomentetur ergo primo cum decoctione
 brancae vitinae, radicis althaeae, foliorum apii,
 petroselini, et marathari, diutius bulliando in
 aqua, et membrum patientis super vas, et co-
 operiatur panno lino, vt fudet. Postea cha-
 momilla, et althaea incoquantur, et in illa visco-
 sitate malaxetur cera, et totum membrum inde
 cooperiatur. Postea ligetur fascia linea stricte,
 et ita membrum patientis sudet per noctem
 vnam: mane vero fricetur, vt spiritus excitentur,
 et fluant ad locum dolorosum. Quo facto,
 fricetur statim cum dialthaea, ita composita, vt
 sint duae partes dialthaeae et tertia de oleo lau-
 rino: commisceantur, et vngatur membrum
 praedicto modo ter vel quater in die. Tunc
 quoque

nibus subacti in rotundas ampliores redactio,
 hoc loco edulii genus confectum ad formam
 magdaleonum intelligitur.

quoque accipe *m)* diacerateos, *n)* ceronum, oxycroceum, et ad inuicem puluerizetur. Deinde decoquatur althaea et puluis ille malaxetur cum illa viscositate, quousque bene adhaereat: et membrum totum patientis cooperiatur, et fascia ligetur. Et sic fomentando, et emplastro ponendo poterit alleuari. Quibus factis, iniungatur requies et otium, et utatur calida et humida diæta, optimo vino, et mediocriter rubeo, quod bibat, quousque curetur. Interper et balneo aquae dulcis utatur.

C A P. X I X.

De electione nutricis.

Iuuenem oportet esse nutricem, *o)* clarum colorem cum albedine et rubore permixtum habentem,

m) Diacerateos.) Collyrium est, quod ita conficitur auctore Celso de Re medica L. VI. c. 6. *squamae aeris*, papaueris lacrymae singulorum P. * ceruini cornu combusti et eloti, plumbi eloti, gummi singulorum P. IV. * thuris P. XII. * Hoc collyrium quia cornu habet *δια κέρατος* nominatur.

n) ceroneum) Mallem *cirinum*, sic *κέρεινον πλάσμα* apud Platon. in Theaet. aut *cerotum*, quod medicinali generi est, sic appellatum, quod magna ex parte cera constat.

o) nutricem) cf. Paul. Aegin. de re med. L. i. c. 2. Oribas. Synops. L. V. c. 2. Id. *Ευπεριστων* L. I. c. 1. Aet. Tetrab. I. Serm. IV. c. 4.

bentem, quae non sit partui vicina, neque multum a partu remota. Non sit inculosa. Nec infirmas, neque nimis grossas habeat mammillas: pectus grossum et amplum: pinguis sit mediocriter; non comedat *p)* salsa, nec acuta, nec acetosa, nec styptica, nec porros, aut cepas: neque caeteras species quae admiscerentur cibariis pro sapore, ut piper, allium, erucam: et praecipue vitet allium, sollicitudinem: ac sibi a menstruorum prouocatione caueat. Et si lac minuat, pultes de farina fabarum, et similiter risi, et de pane similiae cum lacte et zuccaro factae, dentur ei ad sorbendum: quibus augmentetur lac, in quarum decoctione parum de semine foeniculi admisceatur. Si autem lac eius fuerit grossum, nutrimentum ipsius subtiliandum erit, et ita etiam cogatur laborare. Cui insuper dandus est syrupus acetosus, et vinum subtile. Si vero lac eius fuerit subtile, nutrimenta sint grossa et fortia, et somnis utatur longioribus. Quod si venter pueri solutus sit, dentur nutrici quae constipant.

C A P. X X.

De his, quae mulieribus saepe post partum accidunt.

Accidit mulieribus saepe dolor post partum. Matrix tunc tanquam fera syluestris, propter subitam euacuationem quasi vagando huc et illuc declinat. Vnde vehemens efficitur dolor.

p) non comedat) vid. Paul. Aeg. l. c.

lor. Accipe ergo cimas sambuci, et tere: ac succo extrahito, cum farina hordei et albumine oui distempera, et inde fac crispellas cum sanguine ad comedendum; et vinum calidum in quo cyminum bullierit, da ad bibendum. Vel si post partum q) matrix delect, accipe storacis, calaminthæ, thuris, semen apii, ana drac. I. semen racemorum nigrorum, drac. II ponantur super carbones viuos, et suffumigetur, quia multum confert. Sunt quaedam, quæ ex gravitate partus incidunt in rupturam pudendorum. Vnde recipe radicem consolidæ maioris exsiccatam, cyminum et cinnamomum: fiat pulvis, et iniiciatur in vuluam, et consolidabitur. Item quibusdam mulieribus in pariendo male accidit, propter defectum assistentium. Sunt enim quaedam, quibus vulua et anus sunt vnum foramen, et idem cursus; vnde iis exit matrix, et indurefcit. Quibus in reponendo sic subuenimus. Matrîci vinum calidum apponimus, in quo bullierit butyrum, et diligenter fomentamus, quousque matrix efficiatur mollis, et tunc suaviter eam reponimus. Postmodum rupturam

D 2

in-

q) *matrix*.) Obiter monemus Oribas. Medic. in in coll. L. XXIV. c. 31. rationem huius denominationis reddere. *Μίτρα*, hoc est, *matrix*, inquit, dicitur, quia mater est foetuum, qui ex ipsa eduntur, vel quia eas, quæ vuluam habent, matres efficiat, vel ex quorundam sententia, quia constitutum et definitum tempus ad purgationes et partus habent.

intra anum et vuluam tribus locis, vel quatuor
 suimus cum filo de serico: postea pannum line-
 um vuluae imponimus ad quantitatem vuluae.
 Deinde pice liquida linimus; hoc enim facile
 matricem retrahit, propter sui foetorem. De-
 mum sanamus rupturam, cum puluere facto de
 consolida maiori, et minori, et cymino. Hu-
 iusmodi autem puluis superaspurgendus est: et
 collocetur mulier in lecto, ita vt pedes altiores
 sint, et ibi omnes operationes suas per octo vel
 nouem dies faciat: et quantum necesse fuerit,
 manducet: ibi egerat, et omnia assueta faciat.
 Hanc praeterea oportet abstinere a balneo, vs-
 que quo viderit, quod balneum sustinere pos-
 sit. Debet quoque abstinere ab omnibus, quae
 ruffim faciunt, et ab indigestibilibus. Ad prae-
 dictum igitur periculum euitandum, et in partu
 diligentissime sic prouidendum est. Praepare-
 tur pannus in modum pilae oblongae, et ponat-
 ur in ano ad hoc, vt in quolibet conatu eiici-
 endi puerum, illud firmiter ano imprimatur, ne
 fiat huiusmodi continuitatis solutio.

Sunt quaedam, quibus post partum retine-
 tur secundina. Ad illius r) expulsionem acci-
 pimus succum porri, et distemperamus cum
 oleo pulegino, vel muscatellino. Vel damus
 fuc-

r) *expulsionem*) Aliud praesidium suadet huic rei
 aptum Actuar. de Method. med. L. V. c. 6. vi-
 delicet Antidotum e scinco, Mitridatis Eupato-
 ris, quo in loco etiam docet, quomodo prae-
 paratur.

succum boraginis ad potandum, et statim educitur; quia fortass. vomer, et ex conatu vomendi educitur; quia succus ille vim habet talem, qua sufficit ad eius expulsionem. Sunt quaedam, quibus muliebria s) ventum suscipiunt, qui inclusus dolorem et tumorem facit. Istas fomentamus cum decoctione sinapis, vel rapae. Quibus quandoque partes illae pruriunt: quas scalpendo excoriant: vnde quandoque oriuntur pustulae, quae maximam inferunt laesionem. Ideo partes illas vngamus cum vnguento, quod valet contra vsturas ex igne, vel aqua calida factas. Vnde ad huiusmodi excoriationes, Recipe, pomum vnum, bolum armenam: masticem, olibanum, oleum, vinum calidum, ceram et sebum. Et conficiamus sic. Pomum mundatum ab interioribus et exterioribus corticibus, tritum ponimus ad ignem in olla cum oleo, cera et sepo: et cum bullierit, masticem, et olibanum puluerizata imponimus. Postea facimus colari per pannum. Notandum, quod si aliquis propter vsturam hoc vnguento vnctus fuerit, loco inuncto folium hederæ coctum in vino, vel aceto, vel gladioli folium debet superponere; hoc enim remedium est honestum. Idem ventus per vuluam ingressus, vt supra diximus, et receptus in dextram partem, vel sinistram matricis,

D 3

tricus,

s) *ventum suscipiunt*) Fusius hac de inflatione vteri disserit Aetius Tetrab. IV. Serm. IV. c. 78. si- mulque docet, quae sit medela adhibenda, qui consulendus utique est.

tricis, tantam generat ventositatem, quod quasi ruptae vel iliacaе t) appareant. Unde communiter Trotula vocata fuit, quasi magistra operis. Cum enim quaedam puella debens incidi propter huiusmodi ventositatem, quali ex ruptura laborasset: cum eam vidisset u) Trotula, admirata fuit quam plurimum. Fecit ergo venire eam in domum suam, ut in secreto cognosceret causam aegritudinis. Qua cognita, quod non esset dolor ex ruptura, vel inflatione matricis, sed ex ventositate: fecit hoc modo ei fieri balneum, in quo coquebatur malua et parietaria: et eam intromisit: ac eas partes frequenter et satis plene tractavit mollificando; et diu fecit eam in balneo commorari: et post exitum a balneo faciebat ei emplastrum de succo tapsi barbati, et rapistri, et farina hordei: et tetum illud, ad ipsam ventositatem contumendam calidum apposuit: et iterum balneo praedicto insistere fecit, et sic curata remansit. Quibusdam post partum accidit immoderatus fluxus sanguinis. Quibus subveniendo extrahimus succum artemisiae, salviae, pulegii, persicariae, et aliarum herbarum huiusmodi: et facimus crispellas, damus ad comedendum: et collocamus eas frequenter ad balnea:

t) *Appar.*) Varia remedia videre licet apud Aetium tetrabibl. IV. Serin. IV. c. 78.

u) *Trot.*) Fusius de Trotulae egimus in praef. confer. quoque Vir. Illustr. Exc. et Ampl. I. G. Gruneri doctissimam de Trotula commentationem.

nea: et hoc modo restringendo sanguinem eis subuenimus. Vel aliter. Accipe argillam, et distempera cum aceto: et fiat emplastrum ad hepar in dextro latere. Et si fluxerit sanguis per nares, de hoc emplastro ponimus supra frontem, et tempora, ex transuerso tempora et frontem attingendo. Et nota, quod fluxus sanguis non fit, nisi quando peperit filium. Sunt et aliae, quae laborant exitu matricis x) post partum. Quibus bene succurrendo, Recipe artemisiam, pulicariam, iuniperum, camphoram, absinthium: decoquantur in aqua et fiat balneum, in quo sedeat usque ad mammillas. Postea suaviter ponatur ad lectum: et iaceat suspensa pedibus, ut matrix conuertatur in locum suum. Intromissaque matrice, Recipe puluerem pulegii, galangae, spicae nardi, nucis moschatae, caryophyllatae: misce et distempera cum oleo muscellino, vel pulegino. Et accipe pannum lineum veterem, raram, et subtilem, et intus liga hos pulueres, formando ad modum pilae. Et matrice intromissa, os vuluae cum dicta pila obstrue, ut matrix iterum non exeat: et pilam ibi cum fascia superliga, ut non possit exire: et facias transire retro usque ad renes et intra ilia, et ibi ligetur. Sed antequam ibi ligetur, fiat tale emplastrum super renes, Recipe nasturtii, baccarum lauri, thuris, cinnamomi

D 4

momi

x) *matricis*) v. Aetium l. c. c. 76. plura remedia huic morbo medendo apta ibi commemorantur.

momi ana q. s. omnibus puluerizatis, et ad ignem calefactis, distemperatisque cum melle fiat emplastrum, quod adhuc calidum super renes ponatur, ligando fascia, cum qua ligata est pila vulvae, firmando emplastrum et pilam fortiter, ut moueant. Et ipsa iaceat supina per nouem dies, et amplius si fuerit necesse. Neque se moueat, nisi causa magnae necessitatis. Et da ei talem dietam, ut per decem dies non eat ad fellam, vel ad vrinam faciendam saepe. Item in exitu vulvae post partum imponimus plumaceolum, comprimendo ut non exeat, nisi cum mingit. Tertio vero die facimus balneum: et in posterioribus facimus insufflari sequentes pulueres ne tumescant. Recipe zingiber, y) pyrethri, cinamomi, ana fiat puluis. Ad z) haemorrhoides innatas vitio partus, Recipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, corticem cassiae fistulae; coquantur fortiter in vino; et inde fiat balneum. Et cum exierit de balneo, accipe puluerem aloes; confice cum oleo muscellino, vel pulegino, et intinge bombacem, et suppone. Quibusdam accidit dolor mammillarum ex lacte. Accipe argillam, distemperetur in

y) *Pyrethri*) Vid. Dioscor. L. III. c. 69. Latini scriptores *saluarem* solent appellare.

z) *haemorrhoides*) Vide Aetii Syn. Tetrab. IV. Serm. IV. c. 97. vbi non solum accuratam delineationem, sed etiam apta remedia proposita conspicias. cf. et Hippocr. de haemorrh. circa finem.

in aceto, et fiat emplastrum: dolorem sedat, et lac constringit; sed prius locum aqua calida fomentabis. Item nota, quod dolor, qui accidit in mammillis puellarum, de facili transit. Quoniam haec passio menstruis erumpentibus sanatur, quod in quibusdam puellis morbo caduco laborantibus, fit ex suffocatione matricis compressis spiritualibus. Contra apostema autem mammillarum a) fac emplastrum de malua, visco, absinthio, artemisia, et cum axungia distemperetur. Et cum caput apparuerit, conterere nucleos et appone; et si non rumpitur, cum phlebotomo aperiatur: et exprime parum in principio, ne ex subita euacuatione fiat peius. Et tunc impone licinium singulis diebus bis, vel ter illitum vitello oui, aut et melius, vnguento facto ex butyro Maii, vitello oui: et terebinthina: quod est mirabile, et benignum. Quod si locus iste fuerit fistulatus, cum cura hac poterimus subuenire. Recipe radicem mundatam hellebori nigri, et intinctam oleo, vel melle impone, et puluerem de lappa combusta superadsperge: id enim omnem fistulam mundat, et mortificat, dum modo inter ossa non fuerit. Ideoque ibi debet poni, quo usque mortificetur, et deficcetur. Postea vulnus curetur.

D 5

CAP.

a) *mammillarum*) Conf. quae de his collegit Aetius Syn. Tetrab. IV. Serm. IV. c. 37. 38. 39. 40.

C A P. X X I.

De mala complexione calida et frigida matricis.

Vt igitur a nobis de curatione mulierum compendiosa fiat traditio, notandum est, quod quaedam mulieres sunt calidae, quaedam frigidae. *b)* Ad quod tale fiat experimentum. Licinium cum oleo pulegino, vel laurino, vel alio oleo calido inungamus: et illud in quantitate parvi digiti vulvae intromittamus de nocte quando vadit cubitum: et ligetur cum filo forti circa. Quod si intus attactum fuerit, datum est nobis indicium, quod laborat frigiditate. Si vero expulsus fuerit, scimus eam laborare caliditate. Sed in vtraque causa subueniendum est hoc modo. Si de causa laborat calida, supponatur suffumigium de herbis frigidis in hunc modum. Quoniam contraria contrariis curantur. Ponamus igitur maluas, violas et rosas in aqua, et istarum decoctione fumigamus. Si vero *c)* frigiditate laborat, quod melius est, pulegio, foliis lauri et persicaria mulieri faciamus fumigium, similiter pessarium: et sic abundantia humorum mundificata, habilis erit ad *d)* concipien-

b) frigidae) Quomodo frigida temperatura femellarum sit dignoscenda et curanda bene docuit Aetius in Synopsi, Tetrab. IV. Serm. IV. c. 54.

c) frigiditate) Curam huius mali omnibus numeris absolutam legere licet apud Aet. saepius laudatum, Tetr. IV. Serm. IV. c. 26.

d) concipiendum) Aet. I. c. ait: frigidis ne appetitum quidem Veneris inesse.

cipiendum. Postea faciamus fumigium feminis, quod miro modo confortat. Recipe, caryophyllorum, spicae nardi, storacis, calaminthae, nucis moschatae: et ponantur in testa oui super carbones viuos paucos, et paretur sella perforata, vt totus fumus ad interiora redundet.

C A P. XXII.

De dolore matricis.

Ad dolorem matricis prouenientem ex duritie ipsius, accipe saxifragiam, e) cretam marinam, caules veteres, artemisiam, maluam, radicem b) sparagi: omnes herbas coque in aqua fortiter, et fac in his sedere patientem vsque ad mammillas. Et cum exierit, pista maluam, artemisiam, camphoram, et eas pistoratas in olla calefacias: et informa magdaleones cum pauco oleo laurino, vel pulegino: et suppone. Contingit et dolor matricis ex abortu, vel ante tempus ex retentione menstruum. Quod fit saepius ex frigiditate, raro autem ex caliditate. Si ex frigiditate, signum est dolor, et punctura sinistri lateris. Tunc accipe pulegium, origanum, nepitam, lauri frondes, vel grana, et maluas in aqua bene fac bullire: et inde patientem fo-

menta^d

e) *cretam marinam*) κρημίν vocant Graeci, Latini *crithamum*, *baculam*, siue *bacillas*. v. Diosc. L. II. c. 122.

f) *sparagi*) per aphaeresin pro *asparagi* v. Diosc. L. II. c. 118.

menta. Postea accipe caryophyllos, spicam nardi, nucem moschatam, galangam: et fiat suffumigatio, et per embotum fumum recipiat. Deinde triferam magnam, vel g) potionem Pauli in modum auellanae, suppone cum bombace. Si autem ex calore fit, tunc vsu Veneris matrix desiccatur, et caesit. Signum huius est, quod ardor nimius circa partes illas est. Ideo accipe maluam, herbam violarum, flores rosarum, radices iunci: coquantur fortiter in aqua, et eis fomentetur patiens: et eidem trifera saracenicam omni die supponatur.

C A P. X X I I I.

De fluxu matricis.

Sunt quaedam mulieres, quae b) fluxum patiuntur matricis instar spermatis, ut sunt quaedam vetulae fluxum saniosum emittentes. Quibus prouocando menstrua subueniendum est, cum

g) *potionem Pauli*) alias *antidotus Aristarchi* de quo Aet. Tetr. II. Serm. IV. c. 65. compositio haec est: Cinnamomi, costi, galbani, castorei, opii, piperis nigri et longi, styracis singul. vnc. ℥. mellis sextarium ℓ. Sicca contrundito et cribrato: galbanum autem cum modico melle decoquito ac excolato: deinde omnia simul unita in vase vitreo reponito, ac fabae Aegyptiae magnitudine exhibeto cum aquae mulfae cyathis duobus, irrorato de pollice modico aceto.

h) *fluxum*) De huius albi fluxus curatione cf. Aet. Tetr. IV. serm. IV. c. 67.

cum sunt steriles. Sunt et aliae steriles, simili modo saniem educentes. Hoc itaque est in consueto tempore eis adueniente. Cum enim eis menstrua negantur, loco menstruorum, propter earum frigiditatem saniem emittunt, ac si ab hepate fluxus descenderet. Quibus sic subueniendum est. Faciamus eis fumigium ex vino: vel aqua, in qua coctae sint herbae calidae; quales ponemus infra de stranguria ac lapide. Postea distemperemus triferam magnam in oleo pulegino vel muscellino, et in panno lineo, vel lana succida, vel bombace inuoluamus, et vuluae imponamus. Sunt et aliae iuuenes, quae eodem modo laborant, propter defectum menstruorum, sed istae liberantur menstruis prouocatis. Et notandum, quod quaedam mulieres calidae, steriles factae sunt, nec laborant huiusmodi fluxu, sed siccae tanquam viri permanent. Sunt item quaedam, quae i) fluxum saniosum habent simul cum menstruis. Quas facimus sedere super massam eruciae agrestis coctae in vino, panno lineo interposito: dummodo sit calida. Ad idem Recipe pulegium puluerizatum, qui et in sacculo ponitur, in tantum longus et latus fiat, ut utraque pudibunda ligari possint, quem patiens ferre debet super vuluam ad fluxuum prohibitionem. Et priusquam

1) fluxum saniosum) Vide Aet. i. cit. videlicet probe experientia edoctus cognouit auctor fluxum hunc ab initio benignum, successu temporis fieri malignum. Prior enim fluxus dicitur serosus.

usquam ligetur, debet ad ignem calefieri, ut confortentur tam anus, quam vulua.

C A P. XXIV.

De carne in matrice exorta.

Sunt quaedam mulieres, quibus *k*) frustra carnis pendent in matrice. Et nota, quod hoc eis contingit ex spermate intus retento, et inviscato: quia post coitum se mundificant. Has igitur semper cum decoctione calida herbarum fomentamus.

C A P. XXV.

De tussi acerrima puerorum.

Pessioni puerorum, quae est quasi *l*) tussis acerrima, sic subuenimus. Accipe hyssopum, serpillum et vino decoque, et da ad bibendum. Vel grana iuniperi distemperamus cum vino, et damus ad bibendum.

C A P. XXVI.

De sudore foetido.

Sunt quidam, habent sudorem foetidum ultra modum. Istis facimus pannum in vino in-

k) *frusta carnis*) Vel sic distam caudam, vel thymos et verrucas intelligit, de quibus Aet. Terr. IV. Serm. IV. c. 104. et 105.

l) *tussis*) cf. quoque Paul. Aeg. L. I. c. 7.

intinctum, in quo bullierint folia myrtilli, vel ipsa herba, vel ipsi myrtilli.

C A P. XXVII.

De dolore oculorum.

Contra dolorem oculorum accipe maluam, herbam violariam, summitates rubi, rosas siccas, verbenam, filerem montanum: et oculos inde fomenta in sero, et fac emplastrum de eisdem herbis cum albumine oui, et superpone.

C A P. XXVIII.

De tela oculorum

Si tela fit in *m*) oculo, accipe concham marinam, et olibanum, ana aequalibus partibus: combure, et os sepiae non combustum pulueriza: et oculis impone bis vel ter in hebdomada. Si de phlegmate fuerit, accipe polium montanum, pulegium, folia lauri, origanum, carui: et inde oculos fomenta. Vu-guentum ad idem. Accipe aloes hepatici duas partes, olibani, gypsi ana: de his duobus quantum de aloe hepatica, pulueriza subtiliter, et confice cum axungia recenti, et locum inunge.

C A P.

m) oculo) conf. quae de variis oculorum vitiis differuit Celsus, de Re medica, L. VI. c. 6. vbi simul de variis remediis et collyriis, huic vel illi morbo medendo aptis egregie agit.

C A P. XXIX.

De maculis oculorum.

Ad maculas oculorum, quae remanent post ruborem. Recipe carnis marinae vnc. II. olibani, ossis sepiae, ana vnc. V. carnem marinam, et olibanum in puluerem redige, et os sepiae subtiliter rade; fiat puluis et oculis imponatur. Si patiens esset puer, distemperetur cum aqua rosacea, et oculis immittatur. Vnde quae oculis praecipue valent, his versibus habes:

n) *Foeniculus, verbena rosa, chelidonia, ruta;*

Ex his fiet aqua, quae lumina reddit acuta.

C A P. XXX.

De exitu matricis propter disproportionem virgae virilis

Sunt et aliae mulieres quibus matricem contingit o) exire alia de causa; vt sunt illae, quae non possunt pati virgam virilem propter sui longitudinem, vel magnitudinem, coactae tamen patiuntur: sed matrix postea exit de loco, et indurescit. Quibus subuenimus vt dictum est supra cap. 20. Vel accipe pannum, et intingatur oleo calido, pulegino, vel muscelino,

n) *Foeniculus*) v. Arnaldus in regim. Salernit. c. 49.

o) *exire*) Morbosa illa affectio ab aliis ipsi prope accedentibus discernenda est.

lino, et imprimatur, vel illiniatur, vel imponatur vulvae: et ligetur quousque matrix calefacta recesserit per se. Sed caueat ab omnibus, quae tussim inducere possunt.

C A P. XXXI.

De inflatione vulvae.

Vulua mulieris quandoque inflatur ex coitu. Tunc sedeat in aqua decoctionis maluae, althæae, et pulegii, et liberabitur. Vel accipe pulegium, p) pulicariam, folia lauri: bulliant in aqua, in qua sedeat mulier: deinde fiat ex praedictis suffumigatio.

C A P. XXXII.

De ruptura vulvae.

Ad rupturam inferiorum partium post partum, accipe radicem q) consolidae maioris: desicca

p) *pulicariam*) Mallem *pullicarim*, quantum enim scio forma eius tantum pulicaris est; Graecorum ψάλλιον. Pulicaris autem appellatur, quod semen eius colore et quantitate pulicibus simile est. Aliam rationem tamen reddit Diosc. L. IV. c. 16. scil. quod, uti fama est, si virens domum importetur, non sinat in ea pulices gigni. Quia autem frigidissimae est naturae utique in hoc morbo vim egregiam exserere potest.

q) *consolidae maioris*) Membris ruptis eam mederi innuit Dioscor. L. IV. c. 8.

desicca eam bene, et pulueriza, et puluerem cymini subtilem, et cinnamomi etiam in vuluam iniice: et consolidabitur.

C A P. XXXIII.

De dolore vuluae.

Ad r) dolorem vuluae post partum, accipe rutam, artemisiam, camphoram: pista bene, et cum oleo muscellino, vel pulegino conficiantur: et calefacta in olla inuoluantur panno, et superponantur.

C A P. XXXIV.

De mulieribus mingentibus in lecto.

Mulieres quaedam sunt, quae nocte in lecto, velint nolint, s) mingunt: quoniam meatus naturales paralytim patiuntur. Has igitur cum herbis calidis fomentamus.

C A P. XXXV.

De modo coarctandi matricem, ut etiam corrupta apparat virgo.

Nisi de restrictione amplitudinis vuluae propter honestam causam liceret tractare, nullam de

r) *mingunt*) Conferunt potissimum quae laudantur a Paulo Aeg. L. III. c. 4. 6.

s) *dolorcm*) Miror sane non addidisse Auct. quemnam dolorem hic intelligi velit.

de ea mentionem faceremus: sed cum per hanc impediatur aliquando conceptio, necesse est tali impedimento sic subuenire. Recipe, sanguinis draconis, boli armenae, corticis maligni, albuminis, mastice, gallarum, ana vnc. I. vel vnc. II. vel quantum vis singulorum et in puluerem redige: et omnia simul in aqua calefacta conficiantur, et de hac confectioe pone in foramen transiens in matricem. Vel, Recipe gallorum, t) sumach, plantaginis, consolidae maioris, aluminis, chamaeleae ana vnc. I. De-coquantur in aqua pluuiali: et cum ista decoctione fomententur pudibunda.

C A P. XXXVI.

De crassis mulieribus, et gracilibus.

Sunt quaedam mulieres, quibus non committitur carnale commercium: tum quia voto, tum quia religione tenentur, tum quia viduae sunt. Nam quibusdam mulieribus non licet ad secunda vota transire: quae cum voluntatem habeant coeundi, et non coeunt, ideo incur-runt grauem aegritudinem. Illis igitur fiat tale u) remedium. Accipe bombacem, et oleum

E 2

muscel-

t) *sumach*) Barbaro hoc vocabulo a Pharmacopolis olim recepto Rhus insignitur, de quo Diosc. L. I. c. 124. confert utique, siquidem ille adstringente admodum gaudet virtute.

u) *remedium*) Iam Ouid. *Metam.* I. recte cecinit, amorem nullis remediis sanari posse, quare ea praesi-

muscellinum, vel pulegium, et inunge, et vulvae impone. Quod si tale oleum non haberes, accipe triferam magnam, et cum modico vino calido resolue, et cum bombace, vel lana succida vulvae impone. Hoc enim bene castigat, et refrenat luxuriam, dolorem eius et pruriginem sedans. Nota, quod in hoc casu nullum pessarium est administrandum, ne matrix longa abstinentia restricta laedatur: quoniam os matricis vulvae coniungitur ut ori labia: nisi fiat conceptio; tunc enim retrahitur matrix. Alia enim est cura, qua reddimus matricem aptam ad concipiendum. Sed quoniam quaedam sunt crassae quasi hydropicae, et quaedam graciles: tam illae quam aliae ineptae sunt ad concipiendum. Vtrisque ergo diuerso modo subueniendum est. Vnde si fuerit phlegmatica, et x) crassa, faciamus ei balneum de aqua marina et salsa. Ad moderationem tamen aquae imponimus iuniperum, nepitam, pulegium, laureolam, absinthium, artemisiam, hyssopum, huiusmodique herbas calidas. In hoc balneo faciat moram, quousque satis sudet. Postea recipiatur caute in lectum, et bene cooperiatur.

Et

praesidia ab Auctore laudata nullius proflus, teste experientia, sunt virtutis.

x) *crassa*) His addi adhuc possunt quae ab Aetio, Tetr. IV. Serm. IV. c. 56. de curatione earum quae prae pinguedine non concipiunt, et c. 57. de curatione earum, quae ob plenitudinem non purgantur, proposita sunt.

Et si aliquando cibum petierit, detur ei in principio rosata nouella. Detur etiam cibus bonus, calidus, sani nutrimenti, et vinum optimum modice sumtum. Sic ter vel quater in die fac ei balneum, et in crastino die similiter. Tertio vero die fiat fumigium optimum et odoriferum, quod supra diximus. Hanc etiam curam viris frigidis facimus. Sed loco fumigii damus eis confortatiua calida. Si vero sit crassa et quasi hydropica, distemperamus y) stercus vaccinum cum vino optimo, et inde illinimus eam: quae sic linita intret stupham vsque ad collum: quae stupa multum caliditatis habeat ab igne facto ex sambuco, et ebulo: et in ea cooperta multum sudorem emittat, et in stupa moretur, donec quasi aliquantulum per inferiora se purget. Et erit quasi viride illud quod exhibit. Quae postquam fatis sudauerit, abluat se cum aqua prioris balnei, et sic caute intret in lectum. Et hoc fiat bis vel ter, vel quater in hebdomada, et fatis gracilis inuenietur. Istam bene cibabis, et bonum quoque et odoriferum vinum potet. Viros etiam crassos hoc cura reddimus graciles. Curamus etiam aliter viros crassos multum ieiunando, et balneando. Similiter et faciendo eis z) sepulcrum iuxta littus maris in arena, mo-

E 3

do

y) *Stercus*) In vniuersum siccantis ac discutientis virtutis esse stercus asserit Paul. Aegin. de Remedia, L. VIII. c. 3. lit. k.

z) *sepulcrum*) Balneorum terrenorum, vbi vulgo vocant, nonnulli SOLANVM illum nostris auctorem

do dicto illinimus eos: et cum calor est fortissimus, tanquam positos in sepulchro, suffundimus arena calida, et inibi facimus multum et copiose sudare: et postea cum aqua prioris balnei optime lauamus.

C A P. XXXVII.

De retentione secundinae.

Ad difficilem partum et educendam a) secundinam, accipe radicem petroselinii, folia porrorum, et extrahe succum, et admisce poco oleo, et da bibere patienti: et mitte acetum in vuluam et liberabitur.

C A P. XXXVIII.

De abortu.

Contra b) abortum afluatum fieri quibusdam mulieribus in septimo mense, vel nono. Accipe oleum, ceram, puluerem thuris et masticis:

rem faciunt temporibus, sed ea quoque antiquioribus constitisse temporibus ex hoc loco apparet.

a) *secundinam*) Laudatur quoque ab Aëtuario de Meth. med. L. V. c. 6. Antidotus e scinco, Mitridatis Eupatoris.

b) *abortum*) Elegantioris latinitatis amici distinguunt inter abortum, et abortum, abortum nominant illum, qui in primis mensibus fit, cum conceptui exordium factum est, abortum vero prope

sticis: misce, et inde vngatur mulier ante et retro in hebdomada bis vel ter; quia multum confortat matricem, et cotyledones.

C A P. XXXIX.

De exitu ani.

Ani *c)* exitus est morbus communis, tam viris quam mulieribus: et facit sanguinem fluere. In restringendo igitur sanguinem, et anum reponendo, subuemus hoc modo. Primo fomentamus patientem cum decoctione viui, in quo bullierit absinthium: et cum hac decoctione bene fomentetur anus, et liniatur per totum cum encausto ad restringendum. Postea cineres de salice, et eius radice, et arista alicuius piscis falsi facti, superadspergantur, et reponatur anus cum panno lineo. Et hoc fiat tribus diebus bis in die, et saluabitur. Sunt et alii, quibus non exit anus, tamen maximum dolorem patiuntur; et illis taliter subueniendum est. Puluerizetur aloe *d)* hepaticum, et cum vino calido distemperetur: et cum adhuc est tepidum, intingatur in eo linum, vel lana, vel co-

E 4

tum,

prope tempus pariendi fieri afferunt. v. Nic. Perotti Cornu copiae, p. 1394.

c) exitus) Alii ani procidentiam vocant, cuius medelam v. ap. Aegin. L. III. c. 58.

d) aloe) Hanc inesse aloe virtutem Diosc. L. III c. 22. tradit.

etum, et ano imponatur: id enim dolorem mitigat, et inflationem ani aufert.

C A P. XL.

De dolore iliorum.

Dolor iliorum quibusdam accidit: quibus sic subuenire solemus. Solatrum *e)* decoquimus in aqua cum cinere, et loco dolenti apponimus. Ad idem valet *f)* sycaminum crudum decoctum cum semine, et loco *g)* dolenti applicatum.

C A P. XLI.

De stranguria.

Stranguriam *b)* patiuntur tam viri, quam mulieres. Viris autem succurrimus decoquendo

e) Solatrum) corrupte pro *Solanum*, hortense autem siue *επιχον πορτεϊον* intelligit Auctor. Haec autem corruptio officinis veteribus potissimum tribuenda est.

f) Sycaminum) sic emendauimus, cum antea Ald. dabat *sifaminum*, vitiose.

g) dolenti) Marcell. de medic. c. 36. laudat etiam confectionem medicaminis quod vocatur *hygia*, et emplastrum, quod rex Prolemaeus inuenisse dicitur; ab Aethuario autem L. II, c. 6. de med. laudatur Antidotum Hippocratis.

h) Stranguriam) V. Aet. in Synopsi Tetr. III. Serm. III. c. 19.

do nasturtium aquaticum: facimus cataplasma, et pectini superponimus: et in eius decoctione iubemus sedere patientem. Mulieribus vero eadem passione laborantibus, facimus suffumigium ex mentastro, nepita et pulegio. Item tam viris, quam mulieribus facimus stupham, in qua bullierint iuniperus, nepita, pulicaris, mentastrum, folia lauri, pulegium, absinthium, et artemisia: et in balneo damus benedictam simplicem. et sic liberabitur patiens. Nisi fiat impedimentum per lapidem confirmatum eiiciendo arenulas, et se purgando per vrinam.

C A P. XLII.

D e L a p i d e.

Si autem *i*) lapis adesset, decoquimus saxifragiam cum radice graminis in aqua ad consumptionem medietatis: de qua decoctione damus lapidosus id potandum. Et si vinum appetunt, concedimus eis ipsum lymphare cum huiusmodi aqua. Et hoc facimus bis vel ter in die, continuando per quatuor vel quinque dies. Quod si tunc non minxerint, erit signum lapidis confirmati. Tunc ergo, si fuerit in collo velicæ, accipe malum, cretanum, cauliculum agrellæ, *k*) saxifragiam, parietariam, nasturtium

i) *lapis*) Præprimis antidoti Mirhridaticæ vsus commendatur ab Aetio Tetrab. III. Serm. I. c. 100.

k) *Saxifragiam*) Quæ saxiphagos a Diosc. appellatur, κέσσην Galeni v. Diosc. L. IV. c. 13.

um aquaticum, ameos, et semen vrticae: et decoque ista in liquore, cuius tertia pars sit vinum, et tertia oleum, et quarta aqua marina, vel salsa. Cum hac ergo decoctione fomentetur patiens bene, maxime circa partes illas apponendo herbas. Hac cura fuit quidam liberatus habens lapidem in vesica, quem post longam fomentationem fecit lugendo extrahi per foramen factum circa l) perinaeon, et fecit inungi virgam, et maxime caput virgae cum oleo laurino, vel unguento aureo.

CAP. XLIII.

De dysenteria.

Fit m) dysenteria quandoque ex cholera, quandoque ex phlegmate. Cura igitur dysenteriae phlegmaticae est, ut primo suffumigemus cum thymo, epithymo, vel colophonia: postea fomentemus cum eruca agresti. Contra dysenteriam vero ex n) cholera, Recipe flores rosarum rubearum, decoquantur in aqua pluviiali, in qua decoctione intingatur cotum, seu bombax, et ano imponatur.

CAP.

l) *perinaeon*) Aldus dat *peritonaeum* mendose, veram restituimus lectionem.

m) *dysenteria*) v. Galen. de Loc. affect. L. VI. c. 2.

n) *ex cholera*) Hanc speciem dysenteriae non distinxit Paulus, sed aeque *αἰμαρῆσα* appellauit.

CAP. XLIV.

*De pediculis nascentibus in pectine, et sub asellis,
et circa oculos.*

Ad pediculos, qui in pectine, et sub asellis nascuntur. Distemperamus cineres cum o) oleo inungentes illa loca. Contra pediculos vero generales circa oculos, facimus p) unguentum satis valens ad expulsionem eorum et ruborem oculorum, et ad mitigationem doloris eorum. Recipe aloes vnc. l. cerulae, oibani ana vnc. V. laridi quod sufficiat, larido minutim contrito: caetera puluerizata imponantur, et fiat unguentum.

CAP. XLV.

De scabie coxarum et aliarum partium.

Ad hanc infectionem q) cutis valet tale unguentum. Recipe radicem enulae, aceti, argenti viui, olei ana ad placitum, cum axungia sic conficiendo. Radix r) enulae mundetur,
et

o) oleo) Sic quoque Marcell. de medic. c. 4. *Oleum cum pulvere cineris cuiuslibet de foco, sed bene creti, pariter miscebis, et ita teres ut sit ad spissitudinem mellis, atque inde cum opus fuerit caput unge.*

p) unguentum) Efficax quoque remedium est apud Marcellum l. c. quem consule.

q) cutis) Vide etiam Actuar. de Meth. med. L. VI c. 8. et alios.

r) Enulae) Vide Actuar. L. VI. c. 5.

et incidatur minutim: et postquam satis decocta fuerit in aceto, teratur in mortario cum axungia: postea argentum viuum ponatur cum oleo et aceto, in quo cocta sit enula: distemperetur. Valet hoc vnguentum illis, qui per pruritus se scalpendo excoriant. Notandum tamen, quod si quis hoc vnguento se vnixerit, aquam s) frigidam in ore teneat, ne dentes laedantur ab argento viuo, quod circum quaque fluit.

CAP. XLVI.

D e c a n c r o .

Cancrum, t) vbicumque fit in corpore, mundamus, et puluerem factum de cymino, et viridi aere superaspergimus, vt decet. Postea locum infirmum delicatum inungimus hoc vnguento. Recipe olibanum, masticem, ceram, oleum, picem graecam, galbanum, aloen, absinthium, artemisiam, parietariam, rutam, saluiam. Conficiantur sic. Terantur herbae, et infundatur oleum, et misceatur super ignem! et cum fuerit in supremo calidum, oleum coletur et iterum igni apponatur: et cum incipiet bullire; apponatur cera: et postea caetera pulverizata, et decocta colentur, et superponitur hoc vnguentum. Signum autem decoctionis est, cum gutta super marmor posita resederit, et indurauerit. Et nota, quod loco cancroso
folia

s) aquam) Vinum potius vel lac quam aqua.

t) Cancrum.) cf. Paul, Aegin. L. III. c. 26.

folia hederæ siluestris satis valent in vino deco-
cta, et superposita.

CAP. XLVII.

De cancro nasi.

Ad cancrum nasi. Recipe pallam mari-
nam, saluiam, colophoniam, hermodactylos, u)
atramentum, id est, terram Campaniæ, omnia
æqualiter: et pulueriza. Sed ante, quam pul-
uerem istum ponas, abluere locum cum vino ca-
lido, in quo coctum sit absinthium: postea pone
desuper puluerem prædictum.

CAP. XLVIII.

De fornicationibus et sironibus.

Ad fornicationes et sirones vbicunque sint
in corpore, maxime in facie, et in fronte, fru-
mentum distemperamus cum vino, puluere oli-
bani appposito: et ad modum emplastri loco ap-
ponimus. A

CAP. XLIX.

De inflatione pedum.

Contingit aliquando pedes inflari x) ex
dolore matricis. Tunc accipe tribulos mari-
nos

u) atramentum) Varia atramentorum apud veteres
recensentur genera, de quibus, Diosc. L. V. 64.
67.

x) Inflari) Alia præsidia eiusmodi femellis propo-
nit Aegin. de Re medica, L. I. c. 1. et qui eum
secutus est Aetius, Tetr. IV. Serm. IV. c. 11.

nos, et coque in aqua marina vel salsa, et fumiga saepe pedes: et post fumigium cum fomentum erit tepidum, lauabis pedes.

CAP. L.

De inflatione virgae virilis et testicularum.

Sunt quidam qui in virga virili patiuntur inflationem, sub praeputio foramina multa cum excoriatione: y) quibus sic subuenimus Maluam in aqua bullimus: et bullitam exprimimus, vt nihil aquae remaneat, postea pistamus cum sanguine calido, vel butyro sine sale, vel oleo, et igni apponimus, ac calidum super foliis caulium, et super pannum lineam positum, membrum virile circumdamus. Et hoc tale sit remedium ad inflationem tollendam. Deinde praeputio euerso, cum aqua calida lauamus cololum praeputii vlcerosum et puluerem de z) pice graeca, et carie lignorum, vel vermium, et rosarum, et de radice tapti barbati, et myrtilli superaspergimus. Quod si deesset myrtillus, alia quatuor sufficiunt. Et hoc sic fiat bis, vel ter singulis diebus, donec sanetur. Ad testiculos vero

y) *excoriatione*) Luis venereae procul dubio hic satis clara exstant vestigia, quamquam non negandum eiusmodi morbos interdum alia quoque ex causa prouenire posse.

z) *pice graeca*) Est pix ita sicca, adeo vt in puluerem possit redigi, qualis v. c. est Palimpissa, vel Colophonia, *πίσσα βρῖτα* Graecis dicta.

vero inflatos fiat talis fomentatio. Accipe maluan., abfinthium, verbenam, a) bismaluam, cassilaginem, artemisiam, et caules: haec omnia coquantur in vino forti, vel veteri, et inde fomentabis bis vel ter in die: et eas herbas pista, et misce cum melle et bullias: et hoc totum cum vino superpone.

C A P. L I.

De pustulis paruis puerorum.

Quando b) pustulae nascuntur pueris paruae, tunc illae cum sale trito solui debent, et cum fascia ligari, vt resoluantur: quibus pueris nec vinctuosa, neque dulcia dari debent. Si vero in corpore pueri anthrax apparuerit, detur nutrici aqua hordei, et quandoque scarificetur. Similiter et ipsa neque dulcia, neque salsa comedat. Quo casu lac nutricis hoc modo debet cognosci. Si gutta vna destillata super vnguem nec nimis subtile, nec nimis liquidum, nec nimis grossum, nec nimis coagulatum apparuerit, habens bonum odorem, et puram dulcedinem, falsum autem lac, aut male redolens, infantis nutrimento non est conueniens.

C A P.

a) *bismaluam*) Althaea sylvestris hoc nomine gaudet.

b) *pustulae*) singulare caput de iis conscripsit Aegin. de Re med. L. I. c. 6. et Oribasc. in synopsis. L. V. c. 6.

CAP. LII.

De foetore oris.

Ad foetorem oris vitio stomachi, summitates c) myrti terantur, et coquantur in vino, usque ad medietatem: et stomacho mundato tale vinum propinetur.

CAP. LIII.

De casu Vuulae.

His qui casum vuulae patiuntur, sic subuenimus. Pulverem d) zingiberis, pyrethri, et cinnamomi decoquimus in vino, et facimus gargarizare, et pulverem horum calidum vuulae apponimus.

CAP. LIV.

De verme manuum et pedum.

Ad eiiciendum vermem de manibus et pedibus scilicet sironem. Accipe laterem calefactum, et aliquod vas plenum aqua: et postea super laterem candentem ponatur semen i) iusquiami:

c) *myrti*) duae sunt species apud Italos *nigra* et *alba*, nigra in re medica albam praestare virtute censetur.

d) *Zingiberis*) recta est scriptio, non *Zinziberis* uti Aldus dat, de eo autem conf. Diosc. de mat. med. L. II. c. 152.

e) *Iusquiami*) Vide Diosc. L. I. c. 66.

quiami: et patiens teneat pedes super fumum, et videbis vermes quasi pilos in aquam cadentes. Item ad idem, accipe paleam auenae et combure in cineres: postea apponatur aqua calida, quantum patiens poterit sustinere, et in ea teneat pedes quousque infrigidentur. Postea coletur, ita quod nihil aquae remaneat, et stringantur bene cineres, ut aqua exeat: et separentur paulatim, et inuenies vermes instar fili per fumum iusquiami expulsi. Sic similiter cadunt *f*) sirones manuum. Nota quod si locus corrodat a vermibus: accipe paleam, et incinera, et postea ponatur in aquam calidam: et in illam aquam, quantum calidam sustinere poterit, collocet patiens membrum, et exhibunt vermes: postea curetur locus, ut aliud vrinus.

C A P. L V.

De surditate aurium.

Ad *g*) surditatem aurium, accipe pinguedinem anguillarum recentium, quae apparet post decoctionem illarum, et succum caprifolii, et *b*) barbae Iouis, et ouorum formicarum, plenam
pal-

f) *Sirones*) Aldus dat *syrones*, minus recte, alias etiam cheirones appellantur.

g) *surditatem*) cf. Aetius Terr. II. Serm II. c. 79. alia adhuc ibi remedia proposita inuenies.

h) *barbae Iouis*) Est *ἀστύριον* Dioscorid. de quo L. IV. c. 77. alias *semperuium*, seu sedum dictum.

palnam: tere et cola: et haec omnia simul cum oleo misceantur, et decoquantur. Post decoctionem admisceatur ei acetum: ut magis sit penetratium, vel vinum quod sufficit, et auri sanae infunde: et obturetur auris infirma, et super sanam iaceat partem: et mane caueat, ne vento appropinquet. Et fac illum per aliquantulum tempus super aurem sanam iacere: et iterum super infirmam.

C A P. LVI.

De glandulis.

Ad *i*) glandulas artemisia calefacta simul trita, et superposita, glandulas dissoluit. Quae etiam in vino trita, et in melle cocta faciei superposita mollificat, maturat, et attenuat.

C A P. LVII.

De haemorrhoidibus.

Ad haemorrhoides *k*) innatas vitio partus, accipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, cassiam fistulam, coquantur fortiter in vino, et facias mulierem ibi balneari: et cum exierit de balneo, accipe pulverem aloes confectam cum oleo muscellino, vel pulegino: et intinge hombacem,

i) *Glandulas*) Vide Aet. Tetr. II. Serm. IV. c. 48.

k) *haemorrhoides*) vid. Aetius, Tetr. IV. Serm. IV. c. 97 Paul. Aeg. L. III c. 75, Cels. L. VI. c. 8. et Hippocr. de haemorrh. segm. 7.

hacem, et superpone. Aliter, accipe sotulares veteres, et pincam herbam, et coquantur ea in vino, et inibi fac sedere eam, quamdiu pati poterit: et cum exierit de fomento, accipe alumen album puluerizatum, et suppone. Hoc enim ita consolidat, ut reddat violatam plusquam virginem.

C A P. LVIII.

De dolore dentium.

Ad 1) dolorem dentium, et eos confortandos, si moti fuerint, Recipe salis armoniaci drach. XI. costi drach. XIV. melon, piperis, drach. IV. fol. drach. II. confice sic. Sal et fursur in ollam dimitte, donec carbonescant: et cum infrigidatum fuerit, cum caeteris speciebus tere, et in pulverem subtilissimum redige, et inde dentes, et loca ulcerosa frica. Item aliud et est pimpinella, vel succus eius: dentes enim optime dealbat. Similiter herba eius trita, et apposita, tumorem gingivarum emendat.

C A P. LIX.

De fistula.

Experimentum probatum ad m) fistulam. Accipe ioliorum caulis rubei, et seminis eiusdem

F 2

radi-

l) *Dolorem*) Vide Alexandr. Trall. de dign. et cogn. corp. hum. affect. L. IV. c. 10.

m) *Fistulam*) Peculiare caput de fistularum natura curaque est apud Aegin. L. IV. c. 49.

radicis rubeae maioris, ana partes aequales: terantur, et in vino optimo decoquantur vsque ad tres partes, fiat colatura, et addito melle coquantur ad spissitudinem, dentur quotidie duo cochlearia, mane et sero patienti. Nota, quod si fistula fuerit in aliquo loco, cuius canale penetret ad oculos, vt iuxta nasum, incurabilis fit: quia nec incisionem, nec aliquam medicinam ibi administrare possumus, propter teneram substantiam oculorum. Quidam *n*) tamen testantur, quod talis fistula possit curari per solam *o*) agrimoniam, ex multo usu habitam, siue in potu, siue in puluere. Ad idem valet *p*) filipendula, et grana in fine radicis eius inuenta.

C A P. LX.

De scabie manuum.

Ad scabiem *q*) manuum sanandam accipe lapatium acutum, et fumum terrae, confice in modum vnguenti cum axungia porcina, et butyro facto in Maio, quo inunge manus.

CAP.

- n*) *Quidam*) Omnino conferendus est Hippocrat. L. de fistulis totus et Lanfrancus de fistula.
- o*) *agrimonia*) vide Dioscor. L. IV. c. 33. Est agrimonia proprie sic dictum eupatorium Mesue.
- p*) *Filipendula*) v. Diosc. L. III. c. 115.
- q*) *scabiem*) Qui plura de sananda scabie legere cupit, adeat Nic. Myrepsum qui sect. 47. capite 15. de iis, quae scabiem sanant, medicamentis et de psilothris egit.

C A P. L X I.

De ornatu, et partium eius: adque faciem 1) dealbandam.

Radice[m] accipe draconteae, et munda, et radicem iari, ana, tere in mortario cum axungia et distempera cum aqua calida, et cola per pannum, et postea bene moueas, et sic stet per noctem: et in mane aquam suauiter remoue, aliam infundendo aquam: ad cuius linimenti confectiõnem optima esset aqua distillationis florum caprifolii, et hoc reiterando continua per quinque dies, ad reprimendam malitiam eorum, quae possent inferre faciei laesionem: sexta vero die, abiecta aqua, expone, vt desiccetur. Postea accipe praedictae confectiõnis, vnc. II. cerusae, vnc. I. camphorae, vnc. V. boracis, gummi arabici, ana drac. I. Dissoluatur borax in aqua rosacea, fricando inter manus; et postea distemperentur haec omnia cum aqua rosacea. De quo faciem dealbando accipe ad quantitatem fabae, et distempera cum pauca aqua frigida in-

F 3

ter

1) *dealbandam*) iam Celsus, L. VI. c. 5. monuit feminas earum rerum, quae ad corporis ornatum pertinent, fuisse studioissimas, et inprimis Cleopatra propterea laudatur a Galeno de compos. medic. L. I. c. 1. Non facile dixerim illam esse Cleopatram illecebrosis Antonii amoribus celebratam hoc enim non satis tuto affirmari potest, cum Galenus neque patriae, neque aetatis, neque eminentiae dignitatis mentionem euis faciat. Ceterum libellum a Cleopatra scriptum, cui titulus *Cosmetice*, vix affirmare ab ea profectum audeo.

ter manus fricando, et cum ambabus manibus faciem illinias, prius facie lota cum aqua et sapone: deinde cum aqua frigida aspergatur, et pannus subtilis superponatur, siue in mane, siue in sero hoc fiat: et talis decoratio faciei per tres vel quatuor dies durat. Unguentum ad faciem dealbandam. Recipe cerussae optimae, vnc. II. teratur, postea cribelletur per pannum, et quod in panno remanebit, abiciatur: et aqua pluuialis admisceatur et coquatur vsque ad consumptionem aquae: quod potest cognosci, quando videbimus id coctum fere esse desiccatum, tunc infrigidatur, et huic infrigidato et desiccato addatur aqua rosarum: et iterum bulliat quousque fiat densum, et spissum, ita quod inde possint formari pilulae minutae, et cum volueris inungi, accipe pilulam vnam, et liquefiat in manu cum aqua, et inde fricetur facies bene, vt desiccetur: deinde cum aqua pura abluatur, et hoc durabit per octo dies. Secundo ad faciem rubificandam, accipe radicem s) viticellae, et munda, et scinde minutim, et desicca. Postea pulueriza et distempera cum aqua rosacea, et cum bombace, vel panno lineo subtilissimo illiniendo: inducit ruborem faciei. Mulieri autem satis albae, si rubore careat, facimus colorem rubcum, vt submentita, vel palliata specie albedinis color rubcus, quasi naturalis appareat. Item ad rugas faciei

s) *viticellae*) Dubii sumus, quamnam intelligat *viticellam* Mirch. siue *Gallacem* Linn. aut *viticellam* Dill. siue *Clematitidem* Linn. Certe *Bryonium*, de qua p. 92.

faciei vetularum, accipe spatulam, id est t) gladiolum, et succum extrahe, et cum illo succo in sero faciem inunge, et in mane erit cutis eleuata, et rumpetur. Quam rupturam curamus cum praedicto unguento, in quo radix lili recipitur, et puluere cutim extrahendo, quae post rupturam lota satis apparet subtilis. Item ad u) lentigines faciei, quae sunt ex accidenti, accipe radicem draconteae, et in puluerem redige, et ossa sepiae, et olibanum, et de omnibus istis fac puluerem et cum pauca aqua misce: et inde manus illinis fricando in mane cum aqua rosata, vel aqua furfuris, vel cum mica panis fricando, donec remoueas. Aliud. Pone in acerrimo aceto oua septem integra, et tam diu dimitte ibi, donec exterior testa in modum interioris pelliculae mollescat, et cum eis admisce pulueris sinapis, vnc. IV. et simul tere, et inde faciem inunge frequenter. Item ad tollendos rubores faciei. Sanguifugas, quae variae sunt, apponimus in calamo, loco prius loto cum vino, cui debent adhaerere scilicet circa nares, et aures ex vtraque parte: aut ventosas ponimus super scapulas. Item ad venas, quae apparent in facie, vel in naso. Accipe de sapone partes quatuor, et quartam partem de pipere, et puluerizata apponimus loco, et praedicto modo curamus. Item

F 4 ad

t) *gladiolum*) v. Dioscor. L. IV. c. 18.

u) *Lentigines*) Ad lentigines faciei perferandas multa adhuc alia remedia prodita sunt ab Aetio in synopsi Tetr. II. serm. IV. c. 10.

ad asperitatem faciei ex sole vel vento, et ad eam dealbandam et clarificandam: Accipe sepum ceruinum, bulliat in aqua, deinde in aliam aquam coletur, et colatum diu manibus malaxetur, et tunc adde puluerem crysalli et vermis. Nota singulare vnguentum valens ad solis adustionem, et quamlibet fissuram, maxime ex vento, et contra pustulas faciei ex aere, similiter contra maculas et excoriationes faciei, quo vtuntur x) mulieres Salernitanae. Recipe radicem lili, vnc. I. cerusae, vnc. II. masticis, olibani ana vnc. V. camphorae, drac. I. axungiae, vnc. I. aquae rosatae q. s. conficiantur sic. Radix lili mundata decoquatur in aqua, et haec extracta bene teratur, axungia vero liquefiat ad ignem, et bene colata, et a sale mundata: simul haec duo distemperentur prius, addendo cerusam in aqua rosacea dissolutam: deinde reliqua, secundum artem puluerizata, et fiat vnguentum. Hoc igitur vnguento sblent praedictae mulieres se ad ignem inungere in sero, vt in mane a praedictis, scilicet a solis adustione, et fissuris, et pustulis et huiusmodi, tam per aerem, quam per solis ardorem illaesae, de die permaneant. Id enim eleuat cutem, et pulchre colorat. Neque mane lotionibus, vel aliquibus aliis est opus ad remouendum a facie: quoniam non derogat colori

x) *mulieres Salernitanae*) Hoc ex loco inter caetera quam maxime vero fit simile, auctorem huius libelli fuisse Medicum quemdam Salernitanum.

lori quoquo modo. Valet etiam ad repressio-
nem pustularum in leprosis, et facis mundifica-
tium est. Quoniam huiusmodi ornatus mulie-
ribus in frequenti vsu est, quia si fueriat defor-
mes, paleat eas: Ideo notandum, quando vo-
luerint se *y*) ornare, primo abluant faciem cum
sápone gallico et cum aqua calida, et cum cola-
tura surfuris, et hoc fiat in balneo: postea in-
ungant faciem prius desiccata cum oleo de
tartaro, continuando per septem noctes, et toti-
dem dies, vel etiam per quindecim, si vultus
multum fuerit pannosus, et lentiginosus. Et
quando verecundantur inungere faciem de die,
tunc solent se inungere de nocte, et mane lauare
cum aqua tepida, in qua resoluta fuerit pingue-
do *z*) amyli, ad mitigationem. Volens ergo
mulier faciem suam decorare, vadat ad balneum,
et intret stupham, ibique faciem inungat cum
oleo tartarino, et sic inuncte sudet optime:
postea lauet faciem, vt patet ex supradictis. Et
si voluerit tollere pilos in facie, tunc post bal-
neum faciem suam bene desiccata cum pan-
no, illiniat hoc *a*) psilothro. Recipe colopho-

F 5

niam

y) ornare) Ad eiusmodi ornatum etiam aliquis
balsamus apud Maleenses conferre dicitur; quo
vnctae mulieres multo pulchriores, quam antea
redduntur.

z) amyli) v. Diosc. L. II. c. 93.

a) psilothro) psilothra sunt remedia pilis et capil-
lis auferendis, attenuandis atque imminuendis
apta, atque viribus *Dropaci* quam maxime prae-
stantia.

niam et ceram, et in vase fictili resolue: et his resolutis addatur parua gutta garbani, et diu coquantur, mouendo cum spatula. Deinde accipe masticem, olibanum, gummi Arabicum, et caeteris commisceantur, hoc facto, ab igne deponatur: et cum fuerit tepidum, faciem suam liniat: sed non tangat supercilia. Dimittat per horam, donec sit infrigidatum, postea remoueat illud, subtiliat enim cutem, et pulcram reddit faciem, et pilos remouet, et omnem spurcitiam reddit coloratam et lucidam. Item ad *b*) panum remouendum post partum, illius faciem cepa vel squilla, et inde cutis eleuabitur, eleuata autem cute lepum hircinum recens faciei superpone, et postea eleuatam cutem remoueas. Aliud ad panum faciei remouendum: Accipe tartarum de vino albo fortissimum, et cum urina pueri madefactum stuppis inuolue, et cum panno lineo per noctem sub cinere calido dimitte: mane vero proicias pannum, et tartarum tere, et distempera cum melle, et unge faciem, vt supra diximus. Item ad cutem in facie subtiliandam: Accipe dracontem, vel maluam tere, vel bryonium, pista fortiter, et postea misce cum melle albo, et fac bullire per duas horas, et sine decoctionis adiunge puluerem camphorae, boracis, salis gemmae, cum spatula diu mouendo, et vsui referua,

b) panum) Sic emendauimus, cum Aldus daret *pannum*, panus autem dictum quoddam pustulae genus similitudinem panis referens. Curam describit Paul. Aegin. L. IV. c. 22.

referua, et vtere facie lota in aqua tepida, vel furfure, ter in hebdomada, et in die Dominica de hoc vnguento inunge. Recipe camphoram, radicem lilii in aqua elixam, et axungiam porcina recentem, haec omnia confice cum aqua rosacea, et vtere. Item ad c) vermes faciei delendos, qui depilant. Accipe d) lapatii acuti, olibani, draconteae, ossis sepiae, ana partes aequales: fac puluerem, et ter in hebdomada sica, prius tamen facie bene lota in aqua furfuris, et in die sabbati faciem bene laua cum albimine oui et amylo, et per vnam horam in facie remaneat: prius laua cum aqua recenti, et illini eam. Item ad e) serpiginem faciei accipe lapatium paruum, id est acutum, pista fortiter, et frica locum patientem diu; postea accipe furfur, et

c) *vermes*) Alias *συστωμα* v. Cels. VI. 28.

d) *lapatii*) Appellatur quoque *lapathum*, apud Latinos *rumex*, de quo Diosc. L. II. 102. Quinque eius sunt species, 1) rumex satiuus, 2) agrestis 3) *βελάπαρον*, siue rumex acutus, siue lapatium acutum, quod huius loci est. 4) *ἄξελος*, Latinis *acetosa*, et 5) *ἰππολάπαρον*, siue *ὕδρολάπαρον* quod maxime aquosis et palustribus nascitur locis. Quae genera ab antiquis commemorantur. Accedit sextum in agris nascens, forma et sapore acetosae simile.

e) *serpiginem*) Accuratam huius mali descriptionem habet Aëtuar. de meth. med. L. II. c. 12. De eius medendi ratione conf. Aegin. L. IV. c. 20. Orib. in Syn. L. VII. c. 33. Id de morb. curat. L. III. c. 49. Aëtius Tetr. IV. Serm. II. c. 60. Aëtuar. L. IV. c. 16. et Cels. L. VI. c. 28.

et infunde in aqua bullienti, et inde lava locum patientem, et postea desiccetur, et fiat tale unguentum. Recipe enulam campanam bene incisam, et in aceto diu decoque: postea pista fortiter, et immitte puluerem olibani, masticis, lithargyrii, aloes, auripigmenti, cymini, argenti viui extincti cum salua, ana vnc. III. ossis sepiae, vnc. I. saponis et axungiae, ana q. s. Confice cum aceto, in quo cocta sit radix enulae. Mulieres Salernitanae ponunt radicem viticellae, id est, bryoniae, in melle, et cum tali melle inungunt faciem suam, et miro modo rubescit.

Aliter. Mulieres ornant facies et labia sua, accipientes mel despumatum, cui addunt parum bryoniae, viticellae, cucumeris agrestis, et parum aquae rosaceae. Haec omnia usque ad medietatem bulliant: quo unguento inungantur labia in nocte, et mane lauentur cum aqua calida; consolidat enim cutem labiorum, et eam subtiliat, et reddit tenerrimam, et ab omni ulceratione praeseruat, et si ulcerationes in eis frant, sanat.

Si vero mulier voluerit se colorare, tunc optime fricet labia cum cortice radice arboris *f)* nucum, et super dentes, et gingiuas: habeat bombacem, et intingat in colore composito, et cum tali bombace ungit labia, et gingiuas interiorius. Color autem compositus sic fiat. Accipe herbam marinam, de qua Sarracenti tingunt pelles

f) arboris nucum.) Qualem arborem intelligere velit Au&. vix augurari potui.

les in colore viridi, haec bulliat in vase fictili nouo cum albumine vsque ad tertiam partem: colaturae addatur bresitium fruttatum incisum, et iterum bulliat, et iterum dimittatur infrigidari. Et cum tempus fuerit, apponatur puluis aluminis, et tunc in ampulla aurea, vel vitrea ponatur, et vsui referuetur. Hoc igitur modo tingunt mulieres Sarracenae facies suas, quibus vinctis desiccatis, ponunt ad dealbandam faciem aliquid praedictorum, vt cerotum, vel aliquid aliud, et apparet color pulcherrimus admixtus rubori et albedini.

Item ad gutturi oris lauamus os cum vino tepido, dentes bene fricando: et hoc in mane et idem facimus in sero, postea oleum rosatum circumdamus per noctem, et liberabitur in breui. Item ad *g*) dentes nigros et male coloratos, Accipe cortices nucum maiorum bene mundatos ab interiori cortice, qui est viridis, et fricamus ter in die dentes: et cum bene fuerint fricati, abluimus os cum vino calido et cum sale admixto, si placet. Similiter dentes sic dealbatur. Accipe marmor album combustum, et ossa dactylorum combusta, et vitrum album, et tegulam rubeam, *ia*, *b*) pumicem: et de his omni-

g) dentes) cf. Oribas de virt. simpl. L. II. c. I. v *Aristochia*. Id. de loc. aff. curat. L. IV. c. 62. Marcellus de medicam. c 12. 13.

h) pumicem) Non absque laesione is aliaque acria eiusmodi generis adhibentur. Ergo multa vtendum hac in re cautione.

omnibus fac puluerem, in quo lana fuccida inuoluta, in panno lineo subtili dentes interius et exterius frica. Aliud ad idem, quod dentes emundat et albissimos reddit. Patiens post prandium os lauet vino optimo; deinde bene exsiccare debet, et abstergere cum panno albo nouo: postea mastice quotidie foeniculum, vel leuisticum, vel petroselinum, quod melius est masticare, quia bonum reddit odorem, et bene gingiuas emundat, et dentes facit albissimos.

Puluis item ad dentes nigros dealbandos, et confirmandas gingiuas corrolas, vel comestas, et ad os male olens optime facit. Recipe cinnamomi, caryophylli, spicaenardi, mastice, thuris, frumenti, absinthii, pedum cancerorum, ossium dactylorum et oliuarum ana partes aequales, terantur omnia, et in puluerem subtilem redigantur, et inde loca fricentur. Ad idem. Recipe pumicis vsti, salis, ana drac. X. cinnamomi, *i*) antifolii, ana drac. II. *k*) miscebis q. s. pumicem, et sal cum sufficienti melle commisce, et in patella rudi super carbones pone donec incendantur, et aliae species, in puluerem redigantur, et cum opus fuerit, dentes inde fricentur.

Lini-

i) *antifolii*) Mendum subesse arbitror, forte *Antorijophilli* legendum, vel etiam *anthyllidis*.

k) *miscebis*) Aldus dat corrupte *micellis*, procul dubio ex incuria operarum.

Linimentum ad manus dealbandas, et leuigandas. 1) Aphrodilli decoquantur in aqua usque ad consumptionem aquae, et bene mouendo tartarum admisce, et postea duo oua: et fiat linimentum, quo manus fricabis. Item ad foetorem oris, nota, si mulier habeat os *m*) foetidum, causa putredinis gingiuarum, illi sic subueniendum est. Accipe calcem viuam, sulphur viuum, et auripigmentum de calce et sulphure, et puluerem cucurbitae combustae, et piperis. Et habeas peciam vnam scarletae, vel alicuius panni rubei, eamque minutim incidas, quanto plus poteris, et adde praedictis. Tunc habeas acetum fortissimum et ponas in alio vase fictili, et aliquantulum dimitte bullire, et postea pone auripigmentum, deinde sulphur, postea puluerem cucurbitae, et piperis per interualla, ad vltimum ponas peciam panni, et remoueas ab igne: et tunc extrahas ab olla, et ponas super tabulas diuitem per pastilla ad solem, et dimittas siccari: et de his autem siccatis fiat puluis, et ponatur super gingiuas canerosas et putridas, eis tamen
 prius

1) *Aphrodilli*) Apud Graecos ἁροφδιλος, apud Latinos *Hastua regia*. *Aphodelus*, *Aibucum*, *Affodilus*, vide Diosc. L. II. c. 161.

m) *foetidum*) v. Aetium Tetr. II. Serm. IV. c. 17. Oribas. de loc. affect. curat. L. IV. c. 55. confert quoque antidorus Michaelis Angeli, v. Myreps. de antid. Sect. I. c. 295. aliud remedium extrat apud eundem de Oxymeliris, sect. 37. c. 49. Marcellus contra laudat confectioem aceti dialcillii, de Medic. c. 20.

prius ablutis cum aceto tepido, in quo bullierit radix tapfi barbati. Putredine consumpta, de super spargatur puluis cinnamomi, et rosarum rubearum. Ego autem vidi quandam Sarracenam cum hac medicina multas liberare, quae accipiebat parum de foliis lauri, parum de musco, et iubebat mulieres tenere sub lingua, ne perciperetur ab eis grauis anhelitus. Id ego quoque laudo, vt mulier teneat hoc medicamen sub lingua die et nocte, et maxime quando debet coire cum alio. Si autem n) foetor oris fuerit causa stomachi, vel intestinorum, sic curetur. Fiat puluis de meliori aloe quod inueniri poterit, et distemperetur in modum syrapi, cum succo absinthii, de quo accipiat quotidie, sole oriente quatuor cochlearia: quibus acceptis, accipiat totidem de melle, et sanabitur.

Item ad remouendas o) labiorum fissuras, debent ipsa perungi cum oleo rosato, vel femine lini decocto in cyclamine concuato, et etiam ex femine saxifragiae cum succo centaureae, vel aristolochiae rotundae trito liniantur. Ad idem valet succus absinthii. Contra fissuras autem labiorum, propter nimios amplexus, et osculationes amantium, valet inunctio facta de mucilagine seminis psyllii: vel unguento de lilio. Si vero tales fissurae fierent ex vento, vel aere, et similibus

n) foetor) vide Auctores in praecedenti obseruatione laudatos.

o) labiorum fissuras) vide Aetium Tetr. II. Serm. IV. c. 8. Oribas. de lecor. effect. curat. L. IV. c. 56.

bus causis, tunc liniantur labia cum melle, et postea superaspergatur pulvis colophoniae. Vel accipe nucem magnam, et decoquatur sub cinere calido, et nucleus teratur, et fissuris apponatur, admixto oleo tartarino, et sanabitur. Item ad labiorum grossitiam fiat eorum attenuatio cum unctiōe mellis: aut aqua, in qua bullierit radix draconteae, ireos, vel scrophularia, vel etiam amygdum in mullā dissolutum, et pulvis marmoris, et pulvis punicis alli, et ossis sepiae, misceantur, et ungetur locus mixto pulvere *p*) *algitirae* (id est draganti) cum mastice siccatae. De his ergo bene siccatis fiat pulvis, et ponatur super gingivas cancrōsas et putridas, prius bene ablutas cum aceto tepido, in quo bullierit radix rapsi barbari. Putredine atem consumpta, habeat pulverem cinnamomi, et rotarum, et desuper aspergat. Item ad subitam inflationem faciei, sufficit sola aquae calidae suffumigatio. Similiter ad inflationem eiusdem, et oculorum, accipiatur axungia recens, et cum *q*) *senecione* teratur,

p) *algitirae*) v. Dioscor. L. II. c. 20. dicitur quoque *T. agacantha*; eius autem facultates describit Aegineta L. VIII. de re medica, c. 3. sub litera T.

q) *senecione*) haec est recta scriptura, et Aldi repudianda qui *senatione* edidit, quae certe operis tribuenda. Senecio, *ταυτέριον* Graecorum hoc gaudet nomine, quod flores eius cito in ipsa iuventute canescant. Vide Diosc. L. IV. c. 82.

tur, et superponatur. Et haec de ornatu faciei et eius partium sufficiant. Vnguentum ad r) capillos aureos faciendos: recipe medianum corticem sambuci, flores genestae, crocum, vitella ouorum, haec coquantur in aqua, et quod supernatauerit, colligatur, et inde capilli inungantur. Item ad capillos s) candidos faciendos. Apes quamplures in olla noua include, et ita incende, et cum oleo tere, et ita caput unge. Ad idem valet agrimonia trita cum lacte caprino. Item vt t) capilli crescant vbi vis, accipe panem hordeaceum cum crusta, et fale, et adipe vrsino: tere, sed prius combute panem hordeaccum, et ex tali mixtura unge locum, et crescent capilli.

Item vt capilli fiant u) flauis, Recipe corticem nucis exteriorem, et corticem interiorem ipsius arboris: et coque in aqua, et cum ipsa aqua alumen distempera, et gallas: et cum istis distemperatis caput prius totum linias, folia superponendo, et cum fascia ligando, per duos dies poteris

r) *capillos aureos*) Magnam exterioris pulchritudinis faciei partem in aureis capillis veteres quoque posuerunt. At pro dolor! tempora hunc morem admodum immutauere. Sed laudantur alia remedia ab Alexandro Trall. L. I. c. 2. et Paulo Aegin. de Remed. L. III. c. 2.

s) *candidos*) cf. Aegin. L. III. c. 2.

t) *vt capilli crescant.*) Vide Marcell. de Medic. c. 6.

u) *flauis*) Aliud praesidium laudatur a Nicol. Myrepto de pastillis sect. 42. c. 162.

poteris sic colorare. Et pectina caput: vt quod capillis adhaeret, tanquam superfluum recedat. Postea appone tinduram quae fit de croco orientali, sandalis, x) alcana, cuius maior erit pars distemperata cum decoctione bresilii, et sic remaneat per tres dies, et quarta die abluatur cum aqua calida, et nunquam de facili remouebitur. Vel accipe radicem chelidoniae et agrimoniae, et raturam buxi, et superliga stramen avenae: deinde cineres auenae, vel vitis, et fac lixiuum et caput laua. Vel recipe radicem chelidoniae, et rubeae maioris, ana partes aequales, tere, et cum oleo, in quo diligenter cuminum, rasura buxi, chelidonia, et parum croci sunt cocta, distempera: et caput unge, et vinctum maneat die et nocte, et laua cum lixiuo, facto de cinere caulis, et paleae hordei. Item fecem vini albi coque ad spissitudinem ceroti cum melle, et unge capillos. Si vis eos habere flauos, prius praedicto modo parentur, vt inueniantur habiles ad tinduram. Postea gallae cum oleo ponantur in testam, et comburantur, deinde puluerizentur: et imponantur aceto, in quo positum sit atramentum, quod fit in Gallia, et simul distemperentur. Item ad idem. Puluerem galangae cum succo nucis maceae, et fac bulire, et inde fiat inunctio ad tinduram capillorum. Item flores

G 2

myr-

x) *Alkana*): Sic Arabes Ligustrum appellare solent. Pharmacopoeiae autem Alkanam vocant Onochleam, quae est prior species Anchusae.

myrtæ, vel *y*) gallitrici coquantur in aceto, et vngatur caput. Sed caueat a vino forti. et a forti lixiuio, quia capillos corrumpit et corrodit. Item ad capillos crispandos teratur radix *z*) ebuli cum oleo, et inde caput vngatur, et cum foliis eiusdem superligetur caput. Item, vt capilli fiant spissi, accipe agrimoniam et corticem vlni, radicem verbenæ, radicem salicis, abrotonum, semen lini combustum et puluerizatum, radicem *a*) cannæ, hæc omnia decoque cum lacte caprino, vel aqua, et ablue inde locum prius rasum. Item stipites et radices caulium puluerizentur, et cum eis admisceatur rasura buxi vel eboris puluerizata, et ex istis pulueribus fiat lixiuium, quod facit capillos aureos. Item ad capillos longos faciendos, teratur radix althææ cum axungia porcina, et diu bulliat in vino: postea apponatur cuminum bene tritum, et mastix, et vitella ouorum bene cocta parum simul miscendo: et postea cocta fuerint, fiat colatura per pannum lineum, et dimittatur, donec infrigidetur, deinde pinguedo supernatans accipiatur, et inde caput bene ablutum vngatur. Item ad sirones capillos rodentes, Recipe flores myrtæ, genestæ, gallitrici, coquantur in aceto vique

y) gallitrici) Non confundi debet cum orminio satiuo et syluestri, quod nonnulli etiam gallitricum vocant.

z) Ebuli) Sic appellatur apud quosdam sambucus, de quo Diosc. L. IV. c. 155.

a) cannæ) forte *cannabis* legendum.

vsque ad aceti consumptionem, et inde extrema capillorum assidue fricentur. Hoc idem remouet fissuram capitis ex eo bene abluti. Item *b*) lupini amari puluerizentur, et in aceto bulliant, et inde capilli fricentur intra manus, hoc enim sirones expellit et occidit. Cum autem singulare studium sit mulieribus ornare capillos, et post ornatum capillorum ornare faciem (cuius ornatus si fuerit pulcher, deformes paleat mulieres) pro illarum explenda voluntate recurre ad proxime narrata. Quod si mulier velit habere longos capillos et nigros, accipiat lacertam viridem, et remotis capite et cauda decoque in oleo communi: et tali oleo inungat caput, reddit enim capillos longos et *c*) nigros. Experimentum Sarracenicum ad denigrandos capillos. Accipe corticem mali granati, maxime dulcis: teratur, et bulliat in aceto vel aqua, coletur: et huic colaturae addatur puluis gallarum et aluminis, in multa quantitate, vt fiat spissum in modum pultis, et hoc tali, quasi quadam pasta capillos inuoluat. Postea furfur distemperetur cum oleo, et ponatur super ignem in aliquo vase, quouque furfur totum fiat ignitum, hoc tale aspergat radicitus super caput, postea madefiat, et iterum caput in eadem colatura praedicta in-

G 3

uoluat,

b) *Lupini*) sic dicuntur, quod instar lupi terrae sint apperentes. v. Diosc. L. II. c. 102.

c) *nigros*) cf. Alex Trall. L. I. c. 3. Aet. Terr. II. S. II c. 58. Myrepsus de passillis, sect. 42. c. 160. Marc. de medic. c. 7.

uoluat, et dimittat per noctem, vt melius inungatur, postea abluatur, et erit totum nigrum. Ad idem. Si mulier multos et nigros capillos habere velit. accipe pomum coloquintidae, abiectis carnibus, oleo lauri impleatur, addico femine iusquiami, et modico auripigmenti, et adiungantur saepe cineres. Si vero *d*) molles et lenes et subtiles habere voluerit, abluat eos saepe cum aqua calida, in qua sit puluis nitti et orobi. Sed vt mulier suuissima et planissima fiat, et sine pilis a capite vsque ad inferius, in primis eat ad balnea, et si non consueuerit, fiat ei stupha hoc modo. Accipe tegulas et lapides candentes, et eis in stupha positis sedeat mulier in ea. Vel aliter. Accipe tegulas calidas, vel lapides nigros calidos. et ponas in stupham, vel foueam factam in terra: tunc superinfundatur aqua calida, vt fumus resoluatur, et supersedeat mulier bene circumdata pannis, vt sudet. Cumque bene sudauerit, intret aquam calidam, et abluat se optime et sic exeat a balneo et abstergat se bene cum panno lineo. Postea inungat se totam hoc psithro, Recipe calcem viuam bene cribellatam, et de ea pone in vase figuli, uncias IV. et decoque in modum pultis: postea accipe auripigmenti unciam vnam, et iterum coque, et proba cum penna an sit satis coctum; caue autem ne nimis coquatur, et ne nimis supercutem

d) *molles*) fusius de his agit Aetnar. de meth. med. L. VI. ab initio, vbi simul via et ratio variis faciei vitiiis occurrendi monstratur.

cutem moretur, quia maximum faceret ardorem. Sed si ex psilothro accidat cutem vri, accipe populeum cum oleo rosaceo, vel violarum, vel cum succo semperuiuae, distempera applicando, donec sedetur calor, postea inungatur unguento albo, donec cessauerit ardor. Aliud depilatorium: Calx viua, et auripigmentum in sacculo lineo posita bulliant, donec decocta sint: hanc decoctionem probabis vt superiorem. Si autem depilatorium sit nimis spissum, appone aquam recentem vt rarefiat, et attenuetur. Nota, quod puluis eius desiccatus valet ad carnes malas corradendas, et etiam ad capillos reparandos in capitibus tineosorum. Sed prius cum oleo vel melle capita eorum inungantur, deinde puluis superaspergatur. Item vt fiat perpetua ablatio capillorum, Recipe oua formicarum, auripigmentum rubeum, et gummi hederæ, cum aceto: misce, et inde locum depilandum fricabis. Unguentum pro nobilibus, quod pilos remouet, cutim subtiliat, et maculas aufert. Recipe succum foliorum e) cucumeris agrestis, et lac amygdalorum. his in vase positis, admisce calcem viuam et f) auripigmentum, subtiliter pulueri-

G 4

zata;

e) *cucumeris agrestis*) *σίλις ἄγριος*, siue *anguinus* et a recentioribus *aslinus* dictus. Succum continet lacteum, qui a Trotula commendatur. Vide Dioscor. L. IV. c. 136.

f) *auripigmentum*.) Cansticam vim illud habere iam Diosc. L. V. c. 70. prodidit.

zata: postea *g)* galbanum contusum distemperatum cum modico vino, per diem et noctem, et cum ipso decoque, quo bene cocto remoueas substantiam galbani et addas parum olei, vel vini, et argenti viui, facta decoctione, remoueas ab igne, et puluerem istarum specierum appone. Recipe mastice, olibani, cinnamomi, nucis muscatae, caryophyllatae omnium istorum ana partes aequales. Istud unguentum suaviter redolet, et lene est ad mitigandum. Hoc psilothro *h)* nobiles Salernitanae uti consueuerunt. Cum igitur mulier se totam hoc psilothro inunxerit, sedeat in stupa multum calida: nec fricat se, quoniam excoriarentur membra eius: sed cum parum steterit, tentabit pilos euellere a pectine: si vero leuiter non cadant, aquam calidam faciat super se infundi, et abluat se totam trahendo palmam suaviter, si enim cum impetu fricaret, cum cutis sit tenera, ex psilothro cito excoriatur. Hoc facto intret aquam tepidam, et bene abluatur, deinde exeat: et tunc accipiat furfur distemperatum cum aqua calida, et postea colet, et super se fundat. Istud carnem mundificat et lenit. Deinde lauet se aqua tepida, et stet parum ut cutis aliquantulum desiccetur. Postea accipiat alcanam cum albuminibus ouorum, et inungat omnia

g) Galbanum) Vide Diosc. L. III. c. 79.

h) nobiles Salernitanae) Isthis femellis multae inuentiones in arte medica sunt tribuendae, erant enim propter scholam Salernitanam ibi extantem et rei medicae studiosissimae, amantissimaeque.

omnia membra, hoc enim carnem lenit: et si qua fuerit vstura ex psilothro, hanc remouet et lucidam reddit, et suauem; et sic vncta stet parum, et tandem cum aqua calida abluat se, et postremo panno lineo albissimo inuoluta vadat ad lectum. Post exitum quoque balnei ornet capillos suos, et imprimis abluat eos cum tali lixiuio. Recipe cineres vitis combustae, nodos paleae hordei, et lignum liquiritae, vt melius liniant, et panem porcinum: paleam et panem porcinum bulliant in aqua, de parte, palea et cinere repleatur olla, habens in fundo duo foramina, vel tria parua, aqua, in qua panis porcinus et palea prius decocta sint, superdicta fundatur in olla, vt per foramina coletur. Tali lixiuio mulier abluat caput suum: post ablutionem dimittat siccare per se, vnde i) capilli flauis, et lucidi fiunt. Cum autem pectinauerit se, habeat hunc puluerem. Recipe rosas siccas, caryophyll. nucem muscatam, cardamomum, galangam, haec omnia puluerizata distemperentur cum aqua rosarum, et tali aqua aspergat capillos, et pectinet illos pectine, eadem aqua intincto, vt melius redoleant: et fasciculos faciat, et praedictum puluerem superaspergat, et miro modo redolebunt. Nobiles tam viri quam mulieres ferant muscum in capillis suis, aut caryophyll. aut vtrumque: caue tamen, ne ab aliquo videatur

G 5

peplum:

i) *capilli flauis*) De his remediis iam in superioribus factis dicta sunt, neque opus est repetitione, consulantur igitur auctores supra laudati.

peplum: etiam cum quo caput ligatur, ponatur cum caryophyllata, et mulco, et nuce molcata et aliis redolentibus.

C A P. LXII.

Pro conseruatione corporis humani ab aliquot infirmitatibus, k) aquae mirabilis effectus.

Recipe aquae vitae de vino meliore destillatae, lib. IV. salis vsti, lib. II. sulphuris mortui, lib. II. tartari albi, vnc. IV. de carbonibus ligni auellanae, vnc. IV. salis petrae, vnc. III. Haec omnia terantur, et cribellentur, et misceantur inuicem: et superinfunde aquam vitae supra dictae: et ponatur totum ad distillandum.

Operatio eiusmodi distillationum.

Distillatio prima attrahit virtutes omnium spirituum, vt nullum animal venenosum poterit appropinquare ei. In ea conseruantur carnes, pisces sicut in balsamo. Facit etiam recedere omnes lentigines, nec non et omnes maculas faciei: ipsamque clarificat. Expellit etiam omnem scabiem corporis: mundificat quoque omnes lacrymas oculorum:

Secunda

k) *aquae mirabilis*) Satis mira sunt, quae de hac aqua Trotula profert, et forte ita comparata vt effectus alii aquarum mirabilium nostris temporibus satis decantatarum.

Secunda distillatio expellit apostemata, et superfuitates corporis. Dentes inualidos expellit, et sanat. Expellit etiam inflaturam hepatis.

Tertia distillatio expellit omnes maculas, et omnem lepram. Anhelitum foetidum, et omne phlegma stomachi purgat, ut puta cibum indigestum.

Quarta distillatio expellit sanguinem coagulatum in corpore, similiter et sanguinem refrigeratum.

Quinta distillatio expellit morbum caducum a corpore humano.

Sexta distillatio expellit omnes languores et infirmitates ex parte guttae accidentes.

Septima distillatio expellit podagram.

Octava distillatio praeualet balsamo. Quod bene referues.

Nona distillatio valet et referuat hepar: si aurum in ea soluatur.

1) Decima distillatio. Si vna gutta istius aquae ponatur in scyphum, in quo sit vinum, et quod scyphus sit deauratus: inuenitur ibi spuma natans supra vinum, quod est purum aurum. Et omne illud quod tingitur cum eo, est aurum pulchrum.

Notan-

1) *Decima distillatio*) Praestantiam huius aquae ex dictis colligere possumus: *Credat Iudaeus Apella. Non ego.* Horat. Sat. I. 5. v. 100.

Notandum tamen, quod post quamlibet distillationem, feces debent teri et cribellari, sicut in principio.

Aqua alia, seu Balsamus ad idem ferme.

Recipe Terpentinae tribus vicibus distillatae: ultimo coniunctim, lib. I ligni aloes similiter tribus vicibus distillati, lib. I. ambræ crudæ, lib. I, moscatae tritæ super lapidem ad modum liquidi unguenti, cum eisdem superaddito oleo, ut fiat unum corpus. Et distilla novem vicibus. Balsamum hunc conserva, quoniam ipsum est perfectum, et sustinet.

Primo, omne iudicium ignis et aquæ.

Secundo, manum penetrat.

Tertio, unguendo faciem, iuventutem conservat.

Quarto, omnem incisionem consolidat.

Quinto, oculos mire purificat.

Sexto, unguendo cum ea totum corpus, nunquam putrescere ferunt: nec vermes ipsum ascendere, *m*) Hermes philosophus posuit. Et ego feci, et probavi: et est verissimum.

Aqua

m) *Hermes*) Est Trismegistus sine Asclepius, in Adlocutis ad Asclepium, vide Fabric. Bibl. gr. L. I. c. § Locum tamen quo hæc continentur huc adducere nequeo, quia fragmenta tantum ad nostra pervenire tempora.

*Aqua alia per quam medicus mirabilia facit,
et quasi propheta reputabitur.*

Recipe limaturam argenti, aeris, ferri, plumbi, chalybis, auri, spumae argentae, et aureae, storacis, secundum diuitias et paupertates patientis. Ponantur primo in vrina pueri virginis primo die. Secundo die in vino albo caëdo. Tertio die in succo foeniculi. Quarto die in albumine oui. Quinto die in lac mulieris lactantis puerum. Sexto die in vino rubeo. Septimo in septem albugina ouorum. Et hoc totum ponatur in Capellam ad lentum ignem: et quod distillauerit, serua in vase aureo, vel argenteo.

De hude aquae huius est silendum, quia emi non potest. Virtus enim eius palliat leprosos. Leporam enim puram sanat, et destruit, omnem maculam delet, conseruat iuuentutem, oculum pulchrum facit. Super omnia taceo de secreto huius aquae, quia timeo, ne habentes superbia extollantur.

C A P. LXIII.

Puluis ad n) conseruationem visus.

Recipe betonicae, rutae, chelidoniae, saxifragiae, leuistici, pulegii, anisi, cinnamomi, euphrasie, ana M. l. cardamomi, Zinziberis, foeniculi, petroselini, hyssopi, origani, fileris mor a-
ni,

n) ad conseruationem visus) c. ad hoc caput Paul. Aeg. n. de Re medica L. I. c. 31.

ni, ana drac. I. galangae vnc. I. zuccari, vnc. I. Ex istis fiat puluis, et cum cibo continue sumatur: et visus recuperatur, et seruatur.

Puluis praedictus ordinatus est per Magistrum o) Geraldum: cuius probam senex expertus est: qui annis duodecim visus fuit specillis vitreis, ita quod grossas litteras sine ipsis videre non poterat: sed postquam visus est hoc ipso puluere, sola vna quadragesima liberatus est: in tantum, quod toto tempore vitae suae vidit et legit litteras minutissimas.

Ad visum item.

Recipe tutiae praeparatae, drac. I. Masticeis, drac. V p) carnabum, scrup. I. camphorae, scrup. V. vitrioli albi, scrup. II. fiat puluis omnino subtilis, vt q) alcohol ponatur in quartam partem aquae rosatae optime destillatae ad solem tribus, aut quatuor diebus, serua in vitro bene obturato: et mane I. vel II. guttas in hircos oculorum impone.

o) *Geraldum*) De hoc viro apud auctores nihil inuenire potui, quamquam libentur quaedam addere lectorum gratia vellem.

p) *carnabum*) Sic restituiimus, cum in Aldina editione esset charabae *Carnabum* autem et *carum* et *carnabadium* appellatur, v. Diosc. L. III. c. 55.

q) *alcohol*) in Aldina ed. viciose *Altohol*.

HENRICI KORNMANNI
ENVCLEATAE QVAESTIONES

DE

VIRGINVM STATV
AC IVRE

Ex optimis tum sacris tum profanis
Auctoribus Iuribusque Divin. Canon. Natur.
et Civ. desumptae atque Theolog. Iurid.
Med. et Phys. pertractatae.

DEDICATIO H. KORNMANNI

A D

IVLIANAM MORELLAM
VIRGINEM HISPANAM.

Piiissima et doctissima virgo, quum ad me
apud Leucos tua peruenerit laus, fama et
doctrina, qua chorum virgineum plus quam con-
decoras, stupui primum, laetatus inde vehementer
et in eo sexu summum nobis artis, queis a vulgo
separamur, notare. Te videre desideravi.


Lugdunum adii, aditum rogavi, benigniter admissus, te vidi, te allocutus, te salutavi, tuam linguam sensi, tuas manus deosculatus tuam diligentiam probavi, quae mea Musa negavit, tum Burgundia me tristem fecit, felix audacia praestitit. Cape rogo doctissima virgo, animi mei faciliorem Sibyllam hancce, cape rogo, amplectere ut antea me. Salve, viue, vale felix o diua Sacerdos.

Summus ille propositum prosperet tuum feliciter, quod ex animo voueo. Perge salve Virginum decus, salve piissima virgo, salve doctissima.

T. A. O.

HENRICVS KORNMANNVS.
ex Kirchaina Chattor.

PRAE-



P R A E F A T I O.

Tractaturus de virginibus, earumque iura persequuturus, prius opportunum duxi volens sequi documentum Iuriconsulti Vlpiani, *in l. 1. in princ. ff. de iustit et iur.* ibi iuri operam daturum, nosse prius oportet, vnde nomen iuris descendat: eiusdem Vlp. *in l. 1. ff. si cert. pet. ibi.* e re est prius quam ad verborem interpretationem perueniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre, et Gaii *in l. 1. ff. de orig. iur.* ibi, facturus legum vetustarum interpretationem necessario prius ab vrbis initiis repetendam existimaui. Et Paul. *in l. 1. ff. de adquir. poss. in l. 1. ff. de dolo.* cum multis similibus. Et ex Platonis sententia in Phaedro: In omnibus rebus hi, qui bene consulere volunt, est intelligere illud, de quo consultare intendunt. Et idem tradit Cicero, quem refert Bald. *in praelud. feud. col. 4.* Et quia prius de personis, quam iuris ratio quae eranda est, *l. quidam ff. de Codicil. et l. si quaera-*



mus ff. de testament. pauca quaedam attingere. Primo autem quis miretur intuitu, quis genius ad virgines accedere propius mihi iusserit? quis genius manum ad calamum applicare suaserit? Amor erit. Quis enim tam austerus mulierum osor, ut vel ex omnibus vnus non impense amaret? Quis tam distortus Demea, ut non vllius earum ambiret gratiam, quarum consuetudinem natura omne humanum genus adultum experit. Illarum laudes et iura haecenus eruditorum coetus, quod ego scio, penitus neglexisse videtur, mihi a superis relicta atque decreta. Ea ratione inprimis adductus et audacior eo factus in scribendo, non quod ideo dies festos hisce voluptatibus consumserim, quod iure diuino prohibitum est, *Deuteronom V. Exod. XXII.* neque imitatus in eo iuuenes, qui ad Ecclesias vadunt, ut videant potius Dominas, quam Deum: ut tradit Abbas in c. 1. de fer. 101. 2. Annunciabo igitur gloriam virginum, iura illarum non abicondam. Virginitatem autem in maximo quouis tempore habitam fuisse pretio, ex eo, quod VIRGO inter sidera coelestia in coelo collocata fuerit, quam inter Leonem et Libram ponunt Astronomi, cuius satis superque

que patet. *Natal. Comes Mytholog. lib. VIII. c. 16. de Afopo.* Quanti aestimarint Romani, Vestalium ordo manifestat, quarum fortuitus occurfus a morte damnatum liberabat. *Alex. ab Alexandro S. Genial. 12.* Satis testantur quinquaginta illae virgines Spartanæ, quae nomen suum immortalitati consecrarunt: Nam cum sacrificii gratia a parentibus ad Messenios hospitii more missæ essent, tanta libidinis impatientia in eas flagrarunt Messenii, ut contempto hospitalitatis iure, ad stuprum eas poscerent, cumque illae obluçarentur, ipsique eas violare velent, nulla earum consensit, morique maluerunt, quam virginitatem amittere, quarum sanguinem Lacedaemonii magna victoria Deo Max. fauente vlti sunt. Quid moror in Ethnicis et gentilibus? Nonne unica maris stella virgo Maria, ex qua Saluator et Redemptor noster natus est, *Luc. II.* exemplum virginitatis sufficit, quam in partu et post partum virginem mansisse firmiter tenet Ecclesia. O felix illa virgo! o nunquam satis laudanda virgo! Nonne Ecclesiasticae historiae satis praeconia et elogia sanctarum decantant virginum? Tu felix Colonia Agrippina unica celebris es, ex tuitione vir-




ginis Reginae Vrsulae, eiusque cohortis undecim millium. Nonne et sancta Catharina virgo patrona Iuristarum est? Sufficit. Non ardor aliquis aut furor nimius, sed ut earum pectora exfaturemus, et bonam simul gratiam nobis apud eas conciliemus, maxime cum hoc genus apprime irritabile fiet, materiam hancce sumpsi aequam.

Tu igitur, o mihi laurentes inter dilecta puellas, virgo procede, elogia tua attende, praeconia tua ausculta. Sat mihi erit praemium fauor tuus, gratia tui vultus par referet pari. Splendor faciei tuae me foueat.

Sic in blanditiae iuuenis lux lucet amoris. Et haec promissa protestatione una cum *Albertino de agnoscend. assert. Cathol. et haeret. q. 12. et Bursf. cons. 344. n. 45. lib. IV. et Act. in princ. de infirmit. in praefat. n. 10.* Quod nihil intendo dicere, neque puto dixisse contra fidem, et si secus esset, ea nunc reuoco et submitto me correctioni.





INDEX

CAPITVLORVM.

- I. *De notatione nominis: VIRGO.*
- II. *De definitione Virginis et Virginitatis.*
- III. *Num virginitas praefenda matrimonio.*
- IV. *Quare citius pubescant femellae quam masculi.*
- V. *Quando virgo credatur pubertati proxima.*
- VI. *Quando virgo censeatur viripotens.*
- VII. *Num afferenti se virginem credatur.*
- VIII. *Vtrum credatur obstetricibus aliquam esse virginem.*
- IX. *Num illibata censeatur pudicitia virginis in cuius mamillis lac inuenitur.*
- X. *Num virgo si lac habeat, in mamillis lactare queat.*
- XI. *Num virgo stuprata, quae se pro virgine gerit, feta, corailas et alia virginum ornamenta gestare queat.*
- XII. *Num virgo sine virili semine concipere et impraegnari queat.*
- XIII. *Num virgo ex sese impraegnari queat.*
- XIV. *Num scire scribere melius fit, aut nescire virgini.*
- XV. *Num condeceat virgines scire ludere cartis, taxillis.*

XVI. Num illibata censeatur pudicitia virginis ex conuictu, spectaculis publi. balneis et saltationibus.

XVII. Num virginis peregrinantis illibata praesumatur pudicitia.

XVIII. Num illibata censeatur castitas virginis, ad quam frequenter accedunt scholares.

XIX. De probatione virginitatis apud Rom.

XX. An ex mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio.

XXI. Num virginitas ex urina cognosci queat.

XXII. Num verum, et quae causa, quod Scaliger de radice quaedam refert.

XXIII. Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis

XXIV. Num exheredari queat virgo viripotens sine consensu patris nubens.

XXV. In virginem si quis consentiat, quam postea ab alio compressam reperit, quid iuris sit.

XXVI. Num sit melius uxorem ducere virginem, quam viduam.

XXVII. Num conducat virgini iuueni nubere seni sexagenario, de ponte deiciendo.

XXVIII. Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo.

XXIX. Num virginitas semel amissa possit restitui.

XXX. Num fiet sufficiens probatio amissae virginitatis, absentia Hymenis.

XXXI. Num absentia Hymenis sponsus sponsam repellere queat.

XXXII. Num virgo nupta mater esse volens ab impotente marito diuertere queat.

XXXIII. Num virgo ita arcta, ut mulier fieri non possit, matrimonium contrahere queat.

XXXIV.

XXXIV. *Utrum mulier propter arctitudinem separata a primo viro et coniuncta secundo, quanto efficitur habilis primo, propter usum secundi, sit restituenda primo.*

XXXV. *Num ab incubo infestata virgo amittat virginitatem.*

XXXVI. *Legatum factum puellae minori ut intelligatur.*

XXXVII. *De donatione virginum.*

XXXVIII. *Num virgo sine tutore donare possit.*

XXXIX. *Num, si virgo persuadet iuueni, se esse diuitem, et ita inducat illum ad promittendum matrimonium subueniatur iuueni, si contrarium comperitum sit.*

XL. *Num virgo possit esse legata.*

XLI. *Num virgo possit esse miles armatus.*

XLII. *Ad quid teneatur, qui infestatur virginem.*

XLIII. *Virginem deflorans, qua poena puniatur.*

XLIV. *Qua poena puniatur stuprans virginem per vim.*

XLV. *Qua sit poena puniendus ille, qui deflorauit, seu deflorare conatus est puellam nondum viripotentem.*

XLVI. *Qua poena puniatur raptor virginis.*

XLVII. *An transactio super raptu fieri possit.*

XLVIII. *Qua poena puniantur virgines fricantes sese.*

XLIX. *Num virgo menstrua non patiens sana sit.*

L. *An virgo, cui os olet, sana sit.*

LI. *Quae causa, quod virginis primo menstruum fluxum habentis, canuscia in ignem proiecta, eum sistat.*

LII. *An honesta virgo pro attentatae pudicitiae defensione violentum stupratorem licite occidat.*

LIII. *Num virgo ob furtum sit suspendenda.*

LIV. *Legatum virgini num corruptae debeatur et praestetur.*

LV. *Num si virgo damnatum quempiam ad mortem petat in maritum, liberet ipsum a morte.*

LVI. *Num mulier post partum virgo dicenda sit.*

LVII. *An virgo nolens nubere gaudeat privilegiis nuptiarum.*

LVIII. *An virgo per vim stuprata Deo possit consecrari.*

LIX. *Vtrum si starent simul duae puellae honestum sit dicere: Una est virgo casta.*

LX. *Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amissionem.*

LXI. *Cum gemelli: masculus et femella simul nascuntur, vter prior natus censetur.*

LXII. *Num proniores in Venerem ferantur virgines quam viduae.*

LXIII. *Quare virgines in quibusdam locis proniores sint ad Venerem et luxuriosiores quam in aliis.*

LXIV. *De variis virginum in variis Italiae locis dotibus et vitiis externis.*

LXV. *Virgo nupta quo tempore sponsa dicenda.*

LXVI. *Num Iohannes Euang. fuerit sponsus ille in nuptiis in Cana Galilaea.*

LXVII. *Cur in lege antiqua virginitas non commendabatur.*

LXVIII. *Virginitas cur Lilio comparetur.*

LXIX. *Quae causa, quod virgo primitias arboris decerpens, fructus eius arboris fissura notet.*

LXX.

LXX. *Quare pulices puellis virginibus, imo sexui femineo inimici magis sint, quam iuuenibus adolescentibus.*

LXXI. *Quare deteriorem odorem puellae virgines de se spargant quam iuuenes adolescentes.*

LXXII. *Quare melius possint currere virgines quam iuuenes.*

LXXIII. *Quare clarior vox virginum puellarum quam iuuenum.*

LXXIV. *Quibus coloribus ad vestimenta uti debeant virgines.*

LXXV. *Qui crines exornent utrgines.*

LXXVI. *Virgines comae primitias olim, cum matrimonium iniissent, Deabus consecrabant.*

LXXVII. *Quare non ita multum bibant virgines ut iuuenes masculi.*

LXXVIII. *Num ex longo et acuto naso, praesumenda fiet virgo iracunda.*

LXXIX. *Quo ingressu condeceat virgines incedere.*

LXXX. *Quare luxus et ornatus conuenientior virginibus quam adolescentibus.*

LXXXI. *Num ornatus ad occultandum morbi turpitudinem virginibus permissus.*

LXXXII. *Quare amantes pallefcant.*

LXXXIII. *Num virgo ad sanitatis conseruationem actum coniugalem admittere debeat.*

LXXXIV. *Num virgo, ut propriam sanitatem recuperet, possit sine peccato, medico id petenti, sui corporis copiam facere.*

LXXXV. *An pro sanitate possit virgo Deo polliceri iter vel peregrinationem ad S. Iacob.*

LXXXVI. *De planctu virginitatis filiae Iephtah.*

LXXXVII *De voto virginitatis apud Dardanos.*

LXXXVIII. *Num raptus virgin. in choreis a filiis Benamin possit excusari. Iud. XXI.*

LXXXIX *Quare puellae virgines in via praecedant matres, filii vero adolescentes sequantur patres.*

XC. *Quare primum praeponatur et distribuatur in mensa cibus virginibus puellis.*

XCI. *Cur magi praestigiis suis virgines et pueros, castosque adhibeant.*

XCI. *Quid significetur per illam picturam, qua unicornu in sinu virginis requiescens pingitur.*

XCIII. *Quid significetur per 10. virgines partim sapientes, partim jatuas. Matth. XXV.*

XCIV. *Quid per perpetuam virginitatem Mineruae antiqui fabulose significare voluerint.*

XCV. *Quid per perpetuam Dianae virginitatem antiqui significare voluerint.*

XCVI. *Quid per perpetuam virginitatem Vestae antiqui indicare voluerint.*

XCVII. *Quid per virgines, illas statuas, Pantheon illud Romae Justinentes, architecti significare voluerint.*

XCVIII. *De bonis nominibus puellis virginibus imponendis.*

XCIX. *Qui sat, quod lis sit cum forma magna pudicitiae.*

C. *De virginum vestitu olim.*

CI. *Urbes per quam celebres a virginibus nomen sortitae.*

CII. *De stirpibus plantisque a Diuis vel sanctis virginibus aenominatis.*

CIII. *De mari, fluminibus et fontibus a virginibus denominatis.*

CIV. .

CIV. *De aqua virginis Romae.*

CV. *Quid per tres Charites virginis manibus inter se iunctis pictas veteres significare voluerunt.*

CVI. *Quae regiones, urbes, loca, etc. subsint signo virginis.*

CVII. *Quae membra hominis subsint Virgini.*

CVIII. *Planeta siue constellatio pueri puellaeque nati nataeue sub virgine.*

CIX. *Cur apud veteres signum virginis vitem auerari credebatur.*

CX. *Vnde cera membrana et mel virginis dicatur.*

CXI. *Virgines laudatae in sacris.*

CXII. *Virgines culpatae in sacris.*

CXIII. *Virgines laudatae ab Ecclesiasticis historicis.*

CXIV. *Virgines laudatae a profanis scriptoribus.*

CXV. *De Sibyllis virginibus diuinantibus.*

CXVI. *De puellis virginibus in mares mutatis.*

CXVII. *Quid portendant somnia de virginibus.*

CXVIII. *An omnes fuerint virginis in turba et societate S. Ursulae.*

CXIX. *Expositio l. 6. §. 1. l. 34. ff. de adult. §. item l. Julia. Inst. de publ. iur.*

CXX. *Expositio dicti Iobi c. 31.*

CXXI. *Expositio dicti Lichtenbergeri, etc.*

CXXII. *Quae terra per virginem denotatur.*

CXXIII. *Expositio vers. apud Catullum*

CXXIV. *Expositio dicti Baldi etc.*

CXXV. *Expositio Levit. XXI. c.*

CXXVI.

CXXVI. *De falso credita cohabitatione puellarum in Paradiso a Mahometanis.*

CXXVII. *Expositio illius Hierem. Thren. I. 6.*

CXXVIII. *Expositio versic. apud Gothfrid. Viterbiens. Chron. p. 9.*

CXXIX. *Expositio disti: A iuvene et cupido credatur reddita virgo.*

CXXX. *Num vere inter miserabiles personas reperiantur virgines.*

CXXXI. *An virgo dici queat sterilis.*

CXXXII. *Q. Cui sexui annumerandus Hermaphroditus.*

CXXXIII. *Scorpio non tam cito feminas lacdit quam virgines.*

CXXXIV. *Apes non iciunt virgines.*

CXXXV. *De virgine serpenti adamata.*

CXXXVI. *De aquila virginem adamante.*

CXXXVII. *Cur buffo addatur virgini.*

CXXXVIII. *De imaginibus facierum virginis earumque virtutibus.*

CXXXIX. *Num virgines puellae minus modi vestimentis, cum adolescentibus, iuuenibus indutae agnosci queant.*

CXL. *De minervalibus sacris et pugna virginum.*



CAPVT I.

De notatione nominis Virgo.

Non conterendo tempus in perplexa de verbis controuersia, quae Grammaticorum potius, quam Ictorum esse videtur, quam et *Vsp. in l. 1. §. sed et sciend. ff. de aedil. edicto* alternatur, breuibus rem aggrediemur. Dicitur autem virgo, a virtute, quam omnes colere tenentur, praecipue tamen ea in virginibus cluere debet. Vel ut virtus labi nescit, ita virgo intacta et illibata *a)* esse debet. Vel a *b)* viro, quod infantilem aetatem egressa, nubilis esse potest, et viro coniungi. Vnde et inter Graecos quidam *παρθέρος* virginem, quod significat *diā*

a) illibata) Omne videlicet castum veteres et incorruptum sub virginis vocabulo comprehensi sunt, sic philosophia dicta *casta, verecunda et incorrupta virgo*. v. Perotti Cornu Copiae, p. 1399.

b) viro) Virginem a viridiori id est validiori aetate dictam esse patet ex eo *Virg. Ali virgo insens, quae te dementia cepit*; loquitur autem de *Philippae* trium filiorum matre. Vnde Caius Ictus virginem dicit quasi viri potentem.

διὰ τὸ παρακαταθεῖν τὴν ἡλικίαν, dictam volunt; hoc est, quia aetatem infantilem egressa est, ut nubilis esse possit. Vel a vigore, quod ea aetate, qua dicuntur virgines, maxime vigeant puellae. Vel ab aetate viridiori, sicut et virga. Vel dicitur virgo ab incorruptione, quasi verago, quod veram ignorat femineam passionem *Isidor. lib. XI. c. 2.*

CAP. II.

De definitione Virginis, et Virginitatis.

Est autem virgo, quae virum non cognovit. Et est virginitas status intactus, seu incorruptus. Hic sciendum, secundum *Richard. in 4 distinct. 35.* dupliciter sumi c) virginitatem. Primo modo, improprie, pro integritate carnis, et sic quaelibet nōscitur virgo, et istud non est virtus. Secundo modo, virginitas sumitur pro habitu, quo voluntas determinatur ad respiciendam prompte et faciliter omnem delectationem Veneream, etiam licitam, ut mens liberius spiritalibus vacet, quia, ut dicitur *1. Cor. VII* Virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, et haec est virtus et diffinitur ab Augu-

- c) *virginitatem*) A quibusdam etiam medicis duplici sensu accipitur virginitas. Distingunt enim inter *virginitatem materialem*, et *formalem*. *Materialem* vocant, quae e vagina naturali constrictione colligitur, *formalem* vero, quae ex eo provenit, quod nondum virgo cum viro commercium habuit.

gustino *libr. de nupt.* Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id est, quod virgo debet gerere in proposito, ut in hoc perseveret perpetuo, et ex hoc patet, quod integritas carnis non est de essentia virginitatis, sed est quidam decor eius accidentalis, extrinsecus existens, qui perdi potest sine diminutione virtutis virginitatis, ut patet 32. q. 5. in pr. et c. *tolerabilis.*

CAP. III.

Num virginitas praesferenda matrimonio.

Ipsa virginitas d) miraculum est. Et adeo miraculum esse censetur vera castitas, ut praeponatur etiam lapsis poenitentibus hoc ipso genere. Nam castitas perditam nunquam reparari potest, vixque ab ipsa diuina potestate. Itaque maior corona est virginum, et continentium, quam conjugatorum. Et tanta est differentia inter statum virginalem et Matrimonium, et tanto acceptior est Deo virginitas, quanto magis grati et accepti fuere Adamus et Eva in Paradiso ante peccatum, et quanto homines superiores animalibus, et quanto eminentior est status Angelorum coelestium, statu hominum terrestrium. Hinc S. Hieronym. in expositione dicti Psalmi? *Homines*

d) *miraculum*) Id est, res miras, admiratione dignas, admodum veneranda. Non autem eo sensu, quasi virginitas sit admodum rara aut in terra.

mines et iumenta saluabis Domine: Per homines, inquit, intelliguntur solae virgines, et per iumenta reliqui omnes. Vterius status e) virginalis excellit et superat matrimonium, quantum gloriosissima et purissima virgo Maria superat Euam, *Basilii Gradi de Ragusa in tractatu Italico Della virginita c. 6* et secundum Apostolum *1. Cor. VII.* tanta est differentia inter matrimonium et virginitatem, quanta est inter: Non peccare et benefacere, Bonum et Melius. *Papa Gregorius VII.* praetulit statum Virginitatis matrimonio et in synod. peculiari sacerdotibus f) matrimonio interdixit *David. Stumpf. in instit. coniug. c. 1.* et cur a mulieribus et omni libidinis viu mundi debeant esse sancti altaris ministri, legatur *Speculum concubinariorum Henrici Cuyckii c. 17.* Concilium Tridentinum sessione 8 *can 10.* Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel coelibatus, et non esse melius ac beatius, manere in virginitate, aut coelibatu, quam iungi matrimonio, anathema sit. Canonem huncce tuetur sequentibus scripturis.

1. Cor. VII. Nupta curat, quae sunt mundi, coelebs quae sunt Domini.

1 Cor.

e) *status virginalis*) Nimum multi in extollenda virginitate fuerunt quidam patres ecclesiae, quod inde originem duxit, quia Ecclesia ipsa appellabatur virgo. v. Tertull de virginibus, tot. sequioribus temporibus virginitas ad sidera vsque sublata est, hoc potissimum consilio, vt coenobia virginibus impleantur.

f) *matrimonio*) Vid. Calixt. de coelibatu Cleric.

1. *Cor. VII.* Ne fraudetis vos inuicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis ieiunio et orationi.

1. *Reg. II.* Abimelech interrogat Dauidem, priusquam ministros eius ad vescendos panes propositionis vesit admittere, an mundi sint a mulieribus et Dauid respondit: Si de mulieribus agitur, illae iam per triduum a nobis separatae fuerunt.

1. *Cor. VII.* Hoc dico secundum veniam, non secundum praeceptum, sed venia non conceditur nisi rei vitiosae.

Sapient. II. Felix, sterilis et incoinquinata, quae nesciuit thorum, in delicto, habebit fructum in respectu animarum sanctarum.

1. *Cor. VII.* Bonum est, si sic permanserint, etc. qui non elocat, melius facit. Beatior erit, si sic permanserit.

Matthaei XIX. Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum coelorum.

Esaias LVI. Non dicat Eunuchus: Ego lignum aridum.

Apoc. XIV. Cantant quasi canticum nouum, quod nemo poterat discere, ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt, ii sequuntur agnum, quocumque ierit, sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Sirach XXVI. Omnis ponderatio non est continentis animae

Albertus Magnus de muliere forti c. Thau.
§. 1. Continentia, inquit, habet fructum triplicem,

cem, scilicet centesimum in virginibus, sexagesimum in viduis, et tricesimum in coniugatis.

Ad praedictas scripturas videatur *Chennitius in examine decreti concil. parte 3. de caelibatu et virginitate c. 1. 2. 3.*

C A P. IV.

Quare citius pubescant femellae quam masculi.

Resp. *Gl. in l. 2 C de his qui ven. aetat. impet. ibique Accurs.* Quod mala herba cito crescit, et cito citius est subdola mulier, et auara *l. sed si ego in fin. ff. ad Velleian.* Nam regula naturalis est, quanto longius res habet esse, tanto tardius ad perfectionem peruenit, et e contra, quanto breuius, tanto maturius ad perfectionem deuenit. Patet hoc in plantis et brutis. Sed vir longius habet esse, quam mulier, ideo tardius ad perfectionem deuenit, quam mulier, et ideo citius subdola et sagacior efficitur, quod carmine redditum:

*Vt lolium segetes crescendo vincit et alte
Emicat hortorum carduus inter opes.
Femina sic maribus citius consurgit in auras,
Femina non vllum ferre parata modum.
Nimirum paruae crescunt velocius herbae,
Femina quas inter connumeranda venit.*

Franciscus Champonus in vocab iur verb. Emitis venia. Alii dicunt, quod frigidior homo de mundo

mundo est g) calidior calidiori muliere de mundo, et ideo mulieres minus viuunt et citius consumuntur. Quanto igitur facilius et citius consumuntur, tanto citius perficiuntur et crescunt. Vel dic, quod mulier est callidior et ingeniosior homine, unde et facilius impetrat veniam aetatis, puta in 18. anno et homo in 20. *C. d. t. dict. l. 2* Sed et est alia ratio. Quia facilius est pati quam agere, ut vult *Hostiensis, Borch. in tract. de gradibus fol. 94.* hanc dat rationem, quod aetatis mutatio in masculino regulariter fit per h) septenarium, in femina per senarium, ut *Clemens Alexandrinus ex Solone notauit in VI. σενοντισω*, quod et eleganter ex climacterum consideratione elicit *Bodinus lib. IV. c. 2.* Accedit calidior sanguis in femina, §, *cum igitur. Aut. de non eligend.* Non tamen ex eo praexcellencia quaedam lexus feminei putanda, ut putauit *Ho. Cornelius Agrippa in orat. sua de praexcell. sexus femin ad Margaritam Austriacam*, quam tamen potius, ut et alia sua plurima, ad pompam et ostentationem ingenii quam veritatem scripsisse videtur; semper enim deterior

I 3 . habita

g) *calidior*) cf. *Trotula, in Prol. p. 4.* In eo autem causam potiore pubertatis citioris femellarum esse, quod ex fibris tenuioribus, mollioribusque partibus consistit carnosis, quibus fit, ut citius corpus extendi, crescere ac maturescere possit.

h) *septenarium*) Haec superstitiosa utique sunt, quamquam testimonio Patris haud contempnend^t alias confirmata.

habita est conditio feminarum quam masculorum,
l. in multis de legib.

CAP. V.

Quando virgo credatur pubertati proxima.

Est utique, qui decimum et dimidium ex-
 cesserit annum, si sit masculus, femina vero pu-
 bertati proxima, si *ŕ*) nonum annum cum dimi-
 dio compleverit. Gl. notab. et singularis in §.
pupillus in verbo infantia. Instit. de inutil. stipul.
in l. pupillam ff. de R. I. quas esse communiter
 receptis asserit *Isidor. inproperand. §. et si qui-*
dem, n. 1. C. de iudic. Soc. n. in l. 1. §. adipisci-
mur ff. de acquir. poss. Anchor. in d. §. pupillus.
Decius et Cagnola in d. l. pupillam. Coras. miscell.
iur. lib. VI c. 23. Natta conf. 434. n. 16. vol. 2.
Emanuel in suo Thesauro lit. P. n. 357 accedente
 semper iudicis arbitrio. *Iob. Fab. in d. §. pupil-*
lus Butr. in c. attestaciones de desponsat. impub.
Salicet. in l. impunitas. C. de poen. Vigil. in §.
testes n. 11. Instit. de Testam. Didac. in clem si
furiosus in pr. 3. part. n. 1. Duen. reg. 259.
limit. §. Tria autem considerabit bonus et
 aequus iudex. Facti qualitatem, personae con-
 ditionem, qualitatem loci et regionis. Nam
 pueros Normannos et Longobardos callidos ap-
 pellat, Gl. in *l. sequitur §. pupillus ff. de usuc.*
 Ver-

ŕ) nonum) In uniuersum hoc dici nequit, nam con-
 sideranda simul vitae ratio, clima, corporis con-
 stitutio etc. quod et sensisse videtur auctor.
 vide sq.

Versutos appellat Hispanos, *Gl. in l. dotem. C. de dolo*, Sclauones mortalium nequiores, *Odofredus in l. Iulianus, ff. de action. emti. Gomez. in §. sic itaque n. 19. de action.* Catalonos proditores et pacis fractores *Bald in. c. 1. de pact. Boer. q. 179. in. fin. Menoch. de arbitr. cas. 17 n. 49.* E contra Gallos sui natura stolidos, Syros auaros et Scythas immanes, Siculos acutos, Asiaticos luxuriosos, Italos Regales, Hispanos elatae iactantiae. *Iul. Matern. in Astronom. Petrus Crinitus de honest. disciplin. lib. 1. c. 7.* quae omnia docte collegit *Vinc Carroc. in tract. de minor. in delict. excus. q. 23.* Et exclamat *Marsf. in l. infans. ff. de sicar. n. 3.* quod defecerunt aetates, et illud, quod ante scribere soliti sunt autores circa vitia, et defectus in 15. anno, faciunt nunc infantes in. 5. vt ludere ad taxillos, et alios ludos prohibitos, et decipiunt ludentes secum. Idem in *l. si quis re. C. eodem.* quales sunt illi, quos Lombardia, Normandia et Roma generat, *Vincent. Carocc. de minor. q. 7 num. 1.*

CAP. VI.

Quando virgo censeatur viripotens.

Olim et tempore Imperatoris Iustiniani aspectus corporis in vsu erat, verum id cum inuerecundum oculis et auribus duceret Iustinianus, mutauit et pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum illico initium accipere disposuit, antiquitatis normam, in

feminis bene positam, in suo ordine relinquens, ut post 12. annos completos viripotentes esse credantur Instit. tit. Quibus modis tutel. finit. qua de causa non membra, quae natura occultauit, sed aetas spectanda est. Cornel. Vibius *l. fin. C. quando tut. vel cura esse desierit*, facit ad hoc *Instit. de nupt. in pr.* ibi Feminae autem viripotentes, ibique *A. curs.* Sponsalia tamen ante pubertatem anno septimo celebrare possunt puellae, *l. in sponsal. ff. in sponsal. c. literas c. accessit, c. duo de spons. impub.* nuptiae vero ad tempus pubertatis usque differuntur, et si intra dictum tempus uxorem quis acceperit, tunc erit vxor, cum ad aetatem praedictam peruenerit, *in minore ff. de ritu nupt.* Quamuis additio *Instit. de loc. hanc gl.* non bene loqui dicat, nam licet quo ad tutelam at testamenta ille appellatur puer, qui 14 annum compleuit, si vir sit, aut 12. si mulier, quo tamen ad matrimonia contrahenda appellantur puberes, quam primum coire possunt. Non igitur in matrimonio copulando pubertas cognoscitur ex annorum numero, sed ex potestate coeundi *c. puberes extr. de sponsal. impub. secundum Christoph.* Inueniuntur enim ante illam aetatem quae k) procrearunt, in quibus malitia aetatem suppleuit, ut dicit *text. in l. III. C. si min. si maior. dix. c. de illis el. 2. et c. fin. de desponsus. impub. et c. 1. eod. tit. in 6.*

prouc

k) procrearunt) Praeprimis in calidioribus regionibus, at exempla quoque plura in temperatis extant.

prout sunt illi, quos Lombardia, Normandia et Roma generat, qui sciunt mentiri et verum dicere, quis malitia seu prudentia supplet aetatem; *gl. in verb. animum, in leg. sequitur ff. de usu cap. Augustinus in Epist. ad Renatum Episc. relata per Gloss. in c. paruuli de consecrat. dist. 4. et in c. 1. de delict puer. allegat. Sebast. Vant tr. de nullit. ex defectu inhabil. n. 7. Salomonem regem 1) undecim tantum annis natum Roboam genuisse, et Pharez filium Iudae 9. aetatis anno Esronem filium suscepisse, et Achaz Ezechiam anno decimo, et Hiran Lothum octauo, et Iesram filiam nono, Hebraeorum monumenta testantur. Seder Olam Hebraeorum citatus a Genebrardo in Chronologia, et mulierem a decenn^o puero grauidam factam esse D. Hieronymus literis consignauit, epistola ad Vitalem. Verum Imp. Maiestas non ad factum quarundam virginum et malitiam respexit, sed potius ad honestatem, et quicquid fit in aliquibus, Iconsultus non attendit de eo, quod bis aut ter fit, sed quod plerumque 1. nam ad ea 5. 1. τὸ γὰρ ἀπαξ 6. ff. de legib. et Senatus Conf.*

CAP. VII.

Num afferenti se virginem, credatur.

Quum hodie malitia regnet vbique, ego in hoc puncto potius cum Augustino teneo: Me-

I 5

lius

1) undecim) Quae exempla non ex calidiori regione, sed ex fecunditate gentis circumcisae sunt illustranda.

lius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis, et an sit virgo a deo est in difficili ac pene impossibili cognitione, ut dicit *Cuiac. observat. lib. XVII. c. 27. Atrius de infirmit. Rubric. 20. num. 15.* At ad punctum Resp. quod sic, mulieri enim in dubio praegnantem se asserenti creditur ut not. *Ang. in l. illud Gloss ibid. Si pars haeredit. per Dd. ad l. Si quis praegnantem 48. ff. de R. l. Mascard. concl. 1151. incipiente, partus n. 31. et conclus. 1214. incipiente, praegnantiae*, ut favorabilior igitur est virginitas, eo magis probabilior et credibilior, cum quilibet praesumatur bonus, donec probetur malus, ad excludendam suspicionem delictorum, quae sunt facti. sicque probationi subiiciuntur, argumento *c. miramur. 61. dist. De praesumpt.* et prima facie quis praesumitur bonus *11. q. 3. iniunctis de praesumpt. l. cum pater §. rogo ff. de legat. 2. ibique Gothfr. lit. 7. alleg. Atciad. 3. praesumpt. 2.* eodem modo quilibet praesumitur solutus, donec probetur ligatus, *Iohan Andr. ad reg. iur.* Semel malus semper praesumitur esse malus in 6. Et magis creditur testibus deponentibus aliquem esse sanum, quam dicentibus esse infirmum, ut post *París. con. 88. num. 12. lib. II. dixit Portius conj. 94. num. 16.* Atrius de infirmitate Rubric. 37. num. 16. Adstipulatur et sacratissimus Imperator Iustinianus, quando quo ad aestimationem pubertatis, inspectionem habitudinis corporis, quod in feminis etiam antiquis impudicum visum est, reiicit et sancta sua constitutione certum tempus

in utroque determinavit sexu pubertatis *Instit. quib. modis tutel. finitur*, multo magis igitur inspectionem ventris, quo ad assertionem virginis, tacite abhorrere videtur, id quod dignum esse castitate suorum temporum Imperat. Maiestas existimavit ibi. Et *Rubr. de ventre inspiciendo ff. libr. XXV. titul. 4.* loquitur de mulieribus, et partu illarum, quando subest periculum suppositionis, vel subiectionis, ut patet ex textu, ibi. Tria lumina, ne minus ibi sint, quia tenebrae ad subiiciendum aptiores sunt, publice enim interest partus non subiici, ut ordinum dignitas, familiarumque salva sit. Nouam rem desiderare Rutilius Severus videtur, et ideo nemo mirabitur, si nos quoque novum consilium et remedium suggeramus, inquit *Ulpian. in principio, leg. 1. ff. eod.* Ideoque ibi ob periculum subiectionis admittitur *m)* inspectio ventris, quae in virgine haud concederetur, et communiter receptum, ut innupta virgo interim praesumatur, ita post *Abbat. in cap. 1. de adulter. Alexander. con. 229. n. 2. lib. VI. Ruin. consil. 199. n. 11. lib. II. Bertrandus consilio 135. et consilio 158. l. secundo. Albert. conf. 37. n. 2. Crauetta consil. 166. n. 5. Clarus §. stuprum vers sed pone Mascardus de probat. conf. 1410. n. 1. Menoch. de praesumpt. l. VI. praesumpt. 89. Dubitari saepe solet in princ. Ripa in tractatu de nocturno tempore Rub. 162. n. 16.*

CAP.

m) inspectio) Sive potius inquisitio, quae potissimum in causis forensibus locum habet, ex regulis artis obitetriciae instituenda.

CAP. VIII.

Utrum credatur obstetricibus, aliquam esse virginem.

(Obstetricibus *n*) affirmantibus aliquam esse virginem magis credendum est, quam totidem negantibus. *Rayn. de Forl. et Dd. in leg. 1. §. sed et siquidem vel omnes ff. de ventr. inspici. licet Jacob. de Aret. ibi contra per gl. in l. diem §. si plures ff. de arbit. Item contra Rayn. tenet. Bar. in l. tertium ult. col. ff. de testib. quod magis creditur dicentibus esse corruptam, quam dicentibus esse virginem, adeo nusquam est virgo secundum Terentium, et obstetrices deponentes de virginitate puellae. debent reddere rationem sui dicti: Scimus quia vidimus et inspeximus eam, secundum *Abbat. in cap. proposuit de praesunt. Idem creditur de praegnantia mulieris. Angel. in l. illud. Si pars haec red pet. Sed quot sint, qui probent? Spec. de teste §. restat. de numero vers. item in purgatione ib. item tres obstetrices, quod tres aut uuae tantum probent praegnantiam per l. 1. ff. de ventre inspici. Vel quinque quando se praegnantem confitetur, quia se sponte ingerens facit suspectam. *Specul. et Joh Andr. ibid. per d. l. 1. Bertachin. in reportorio in lit. O. verbo obstetrix. n. 2. et lit. V. verbo Venter. vers. pen. Quae omnia procedere duco quo ad testandam praegnantiam, sed quo ad virginitatem magis, mihi placet opinio Bartholi.***

CAP.

n) affirmantibus) Vide quae hac de re recentiores artis obstetriciae doctores literis consignarunt.

C A P. I X.

Num illibata censeatur pudicitia virginis, in cuius mamillis lac inuenitur.

Eustathio παρθεῖοο dicitur ἡ ἐρενημένη τῷ θῆταί ἡ γὰρ θηλάζειν, id est: Quae nondum lactat. Et vnde oriatur lac, docent Physici et Medici, nempe ex sanguine elaborato et cocto; sanguis enim ille opifex humani generis in penetralibus nato puero maternum pectus irrigat, et spiritu ac colore confotus albus fit, alimoniamque similem lactanti puero praebet, quum paulo ante in visceribus se abdiderat. Amplius igitur haud virgo censenda, in cuius vberibus lac inuenitur, dura etenim et tenuia virginum vbera esse conuenit, indicium enim esse putant corruptae feminae grauidae, aut puerperae, si lact has habet mammas. Lactariae enim mammae certum dicuntur indicium, corruptam esse feminam et grauidam et puerperam, nec amplius virginem; cum lac effectus sit, defloratae, vitatae et grauidae feminae aut puerperae, quo exemplo post alios vtitur *Philippus Melanchthon. lib. IV. Dialecticae in loco: A signis et Duaren in commentar. ad tit. de probat. cap. 3. non longe a pr. et lib. I. disputat. anav. cap. 27. vers. necessaria refert Henricus Bocerus tract. de quaestionib. et tortur. c. 3. n. 18.* Verum vtrum in puellarum mamillis o) lac inueniatur, dubitatur? Hoc ipsum

o) lac) Vide doctam prolusionem Polyc Fr. Schacheri, de tiste virorum et virginum, num illud nutriendo infanti sufficiat? Lips. 1742. editam.

sum non fieri testatur *Hippocrates lib. I. de morb. mulierum*, quemadmodum et in libro de natura hominis, ubi inquit: Vbi mulier perperit, lac ad mammas fertur, quod confirmat *Aristotel. in lib. de histor. animal.* dum scribit: Nulli animalium lac fieri, antequam vterum ferat: Hinc Laicorum illud: Virgo lac exprimit, concepit igitur aut peperit. E contra vero lac in virginum vberibus generari, nulla etiam facta conceptione testatur idem *Hippocr. sect. 5. aphbrism.* Si mulier, inquit, quae neque grauida est, neque concepit, lac habet, et menstrua defecerunt. Et testatur *Aristoteles*, quemadmodum et *Cardanus*, quod viros viderit, ex quorum mamillis lac effluerit, et qui nouum orbem lustrarunt, p) viris fere omnibus magnam lactis copiam in mamillis generari asserunt. Si igitur sexui virili hoc ipsum obtingit, multo magis atque facilius ipsis virginibus atque mulieribus id ante conceptionem atque viri complexum contingere potest, cum mamillae earum multo sint rariores, atque amphiores atque magis etiam glandulosae, sanguine etiam tanquam causa materiali vndique refertae, calore etiam forti vt causa efficiente donatae, idque potissimum in virginibus prouentioris aetatis, cum vbera ex venis thoracis sanguine irrigantur, atque cum pruritu pubescere incipiunt, et papillae turgent, quo tempore, vt *Hippocrates* inquit, puellae dicuntur *καταπιζεν*,
id

p) viris) Vide Schacheri prolusionem iam laudatam.

id est Fratrare siue fraterculare *Ant. Laurent lib. IX. Anatom. hist. q. 21.* Probe autem in hoc casu inquirendum duco, num persona sit bonae famae, an vero suspectae ex qualibet causa et conversatione. Rem ut nouam et inauditam virginibus confitendam relinquo. *Bald enim in Rubr. de prob.* Femina, inquit, praesumitur esse praegrans si habet lac. Verum ego, inquit *Bocerus dict. loc.* exemplum hoc adponerem verisimilibus indiciis, cum alia possit esse causa lactis mamillaris, ut virgineae arguunt vaccae, quae mulgentur antequam initorem admiserunt bouem, cui lubens assentior.

C A P. X.

*Num virgo, si lac habeat in mamillis,
lactare queat.*

Lac quandoque in mamillis virginum inueniri testantur *Hippocrates, Aristoteles et Cardanus.* Num vero lactare queant, dubitatur. Deest etenim copia, deest verus usus, matribus siquidem proprium est conceptum lacte tueri partum. Tum non ita tenue est, sed crassum et raram, ut ad lactandum vix sufficiat. Hinc et Pontifex Rom, inter ceteros cibos tempore ieiunii, quo virginum instar puri et sinceri et ab omni carnis cogitatione temoti viuere iubemur, lac, ut sententiam originem a carne trahens, prohibet, et rarius inuenitur virginem lactasse, quam aetate prouecta feminam sobolem suscepisse.

C A P. XI.

*Num virgo stuprata, quae se pro virgine gerit,serta,
corollas et alia virginum ornamenta gestare
queat.*

Resp. quod non. Sertae etenim et corollae q) coronaeque ex floribus contextae vigorem et florem pudicitiae denotant, aurumque ob splendorem suum virginitatem testatur. Grauitur ergo peccat ea, quae se virginalibus ornamentis ostentat, cum virgo non sit *Gl. 32. q. 5. in princ. et in c. si Paulus, et in illud, ea curs. q. 2. Gios. inc. causam matrimonii in verbo priuilegio, et ibid. Panorm in 2, col. de probat. et in c. illae ea, q. et per S. Thom. de Aquino et Richard. 4. sentent. dist. 49. argumento, Doctorem si quis falso se gesserit, ut falsarius punitur, ut ponit Barthol. in l. quisquis C. de aquaeduct. lib. XI et l. recidatur, de profess. et medic. Baldin. in l. data opera C. accus. non poss. et per eund. Bartol. in l. eos qui, §. qui se pro milite per illum text. ff. de fals. et idem Bald in praescriptione, col. 4. l. si et leg. C. si contra ius vel util. publ. cum simit. quae ponit Angel. cons. 93. visis. col. 2 allegat Sebast. Vaut. de nullit. c. de nullit. sent. ex inhabilit. n. 69. pag. mihi 368. Distinctas etenim semper fuisse vestes ancillarum, matronarum et meretricum*

q) coronae) Interdictum videlicet hoc legibus ecclesiasticis, et peccantes hac in re, praepriis si in solennibus nuptiis coronas gestant, poenas luunt.

cum apparet ex *Horat. I. serm. sat. 2. et Tertul. de cultu femin.* talis enim quis esse praesumitur, in quali habitu reperitur *Bartolus in leg. item apud Labeonem 15. § si quis virgines ff. de iniur. ibid.* Si quis virgines appellasset, si tamen r) ancillari veste vestitas, minus peccare videtur, multo minus si meretricia veste feminae non matrum familiarum vestitae fuissent, etc. ideoque non tam grauis iniuria sit matronae, cum ancillari aut meretricia veste induitur, quam cum stolam suam gestat. Peccat enim, quae aliena veste vitur et iniuriae sibi faciendae causam praebet. Exemplum in iure nostro praebuit *Barbarius ille Philippus*, qui seruus fugitiuus Romae se pro libero gerens Praeturam petiit et praetor designatus est, *leg. 3. ff. de offic. praetor.* aliud mirabilius traditur ab historicis, de virgine *Iohann. VII. vel VIII. Papa*, quae virgo (si tamen vera illa historia est, semper enim mihi suspecta fuit) habitu virili malis artibus Pontificatum adeptam dicitur. *Hippol. Bonacassa de seruis et famul. ad pontificem Gregorium XIII. part. 2. Cornel. Agrippa in de vanitat. scient. c. 62. de sectis monasticis.* Idem in orat. de praexcellencia sexus feminar. de quo ego vberius in centur. 1. decision. 8. egi. ne igitur nimius in re minus necessaria videar, consulto hic praeterco.

CAP.

r) ancillari veste) Vestes ex mea quidem sententia hic nequaquam in censum veniunt.

CAP. XII.

*Num virgo sine virili semine concipere et
impraegnari s) queat.*

Excepta sola B. Maria, quae virgo concepit, virgo peperit, virgoque post partum mansit, insolitum et inauditum, imo impossibile est illud. Duo enim ad illud opus requiruntur, agens vnum mas videl. patiens alterum femina, etc. *Arist.* vero in *Probl.* suis exemplum de quadam puella refert, quae virile semen in balneo emissum adhauserit, ex eoque praegnans facta fuerit. Verum ab omnibus pro falso et figmento reputatur hoc, ut et illud, quod de admirabili equorum alacritate *apud Vestones Hispaniae populos t)* scribunt, quorum matres ad Zephyrum versae, sine mare concipere dicuntur. Nam nisi utriusque feminis excretio simul fiat, ne concipi quidem potest, ac ne quidem, si alterum paulo post. Nam ita prius vel effluit interea, aut commisceri cum priore non potest, si iam constiterit. Quid facilius deinde quam omnes impudicos concubitus, hoc modo palliare licebit, viduis, virginibus, matronis absentibus viris impune facere, quod

s) *concupere*) Quod quidem nuper probare nisus est Abrah. Johnsonus, Anglus, in epist. regiae Societati Scientiarum transmissa, cui titulus est: *Lucina sine concubitu*, sed argumenta, quibus hanc rem confirmare aggreditur, admodum sunt infirma, ut iis nulla queat fides haberi.

t) *populos*) Hoc quoque Aristoteles de equis quibusdam, loco nescio quo, commemorat.

quod velint, modo aliquando lauerint. Et si absque congressu viri mulier concipere queat, non esse miraculum in Maria, de qua cantus resonat: Sine virili femine: innuendo in aliis omnibus requiri. Ferunt autem *Naucerus vol. 2. Gen. 15. et Vincentius in speculo historiali l. XXI. c. 30.* Merlinum istum Anglum ex virgine vestali et incubo natum. Iudicium fiet penes benevolum Lectorem.

C A P. XIII.

Num virgo ex sese impraegnari queat.

Quilibet homo, in quo luxus exaltatur, polluitur eo, hoc est, emittit eum in terram vel retinet. Quam primum autem Sperma generatum est, et non emittitur vt decet, putrefactio adest. Saepissime autem in virginibus talis luxus oritur, et crescit, et tendit ad cursum, sed non omni tempore emittitur, hoc est, euenit vt congelescat vt vrina, quae non semper exit, sed subsistit: vbi tale Sperma exitum non habet, tum manet in sua terra et digeritur in matrice, quae proprius locus eius est. Verum verum semen deest. ex eo sequitur *Mola*, morbus, vt vterus tumescat, ac si esset praegnans et tamen non est, sed ex proprio spermate impraegnatur, sicut gallinae per se facultatem habent gignendi oua subuentanea. Eatenus hic morbus etiam virginibus potest accidere. Hunc morbum *Consistoriales* apud Medicos inquirant, ne innocentes

virgines et honestae matronae hoc malo laborantes ab ipsis iniusto de suspecta pudicitia condemnentur, quae de re consulendus est *Hippocrates, Galenus, Actuarius, Aegineta et alii Graeci scriptores et Plinius libr. VII. c. 17. libr. X. c. 64. Fris. in Specul. part. 5. lib. II. tract. 1. cap. 8. Rolandus de Thermis fol. 192. Colerus Oecon. p. 6. lib. XVIII. cap. 114. Iacobus Theodorus, Tabernaemont. in lib. Medic. part. 3. c. 19. §. 14. De Mola David Herlicius de cura grauidar. et puerperar. c. 5. De Mola.*

C A P. X I V.

Num scire scribere melius sit, aut nescire virgini.

Addubitavit *Iohann. Charlet. Gersonenfis Theologus*, prout eum refert, *Petrus Gothofredus de amoribus, lib. II. cap. 9.* propter commoda varia atque incommoda, quae insunt, sciat vel nesciat, ipse Gothofredus censet puellas non esse imbuendas a parentibus scribendi arte, vel eas quidem quae destinantur marito. Quam addubitationem Gersonenfis eadem commoda et incommoda, quae femineo sexui insidiantur, siue sciat, siue nesciat, eodem modo tollunt. Quid enim, quaeso, litteris mandari potest, quod non eodem eoque faciliore, occultiorique modo nunciis mediantibus mulierculis vetulis referri et expediri possit? Et videtur distinctio Gothofredi magis ad affirmatiuam accedere: cum etenim haec ars plerumque et ut plurimum in iuuenilibus

bus addiscatur annis, quis quaeso, augurabitur hancce destinatam viro, illam solam frigido in lecto iacituram? Auffert praeterea exercitium deuotae mentis et cogitationum monialium. Et nonne doctissima exstiteret feminae, quae dubio procul artis scribendi imperitae haud fuere, quod etiamnum earum scripta commendant, contra Martialem, qui vult, ut non sit doctissima coniux, alludere visus vulgari prouerbio, quo habetur: Mulieri quae latine loqui nouit, et puero cui vinum est bonum, non futurum finem bonum. Vt Cornificia Poeta sub Octauiano Augusto, cuius adhuc epigrammata vigent, ut refert *Vrsper. f. mihi 89. Sappho Lesbica* adolescens, quae multis vatibus Graccis non inferior et docte et suauiter versus sublimi ingenio cecinisse non contenta, etiam Sapphici carminis inuentrix exstitit et Sapphicum illi nomen primum indidit. Hanc imitata ex *Erynna Rhodia*, cuius poema Doricum excellentia carminis etiam cum Homero contendisse ferunt. Pariter *Corynna* quoque ut *Suidas scribit* Thebis de poesi cum Pindaro contenderat, quem quinquies gloria rara superarat. *Rollagius in certamin. masculino femin. l. c. 14.* plura exempla refert, ubi allegat. *l. qui filium ff. ubi pupillus educari. Augustus Octavianus* ut in ludum litterarium non solum ingenui pueri, sed et virgines nondum adultae literis et bonis disciplinis formandae ventitarent, instituit. Eligebaturque aliqua matrona insignis spectatae virtutis toto generi propinqua, aut vir

grauissimae disciplinae, cuius sanctitate et moribus tota familia et infantilis cognatio bonarum artium cupiens imbueretur, ut testatur *Alex. ab Alexandro, Gen. diar. lib. II. c. 25.* celebris est *Rositta Germana*, illustris virgo, quae metro gesta u) conscripsit Othonis I. Imp. et iam impresum opus circumfertur. Nec pigebit referre *Aloysiam Sigaeam virginem Toletanam*, quae cum sui aevi doctissimis viris conferri posset, fuisseque quinque linguarum adeo peritam, ut non immerito *Paulus III. Pont. max.* litteras illius ad se scriptas videns Latine, Graece, Hebraice, Syriace et Arabice admiratus fuerit in tenella hac et mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum in viris etiam rarum, prout testatur *Ludovicus Nonius in Hispania c. 59.* *Olympia illa Fulvia Morata* aeuiternum in Myrtillito monumentum ob rei litterariae scientiam adepta est. etc. et nostro seculo *Elisabetha Johanna Westonia Anglica* virgo floret; cuius carmina ad Imp. *Rudolphum II.* in omnium versantur manibus. Huius seculi noua Phoenix uisa *Iuliana Morella Barchinonensis* virgo Hispana tribus illis maxime insignibus linguis Latina, Graeca et He-

u) conscripsit) Doctas femellas quaeuis aetas vidit, v. *Schacheri Prol. de feminis ex arte medicis claris.* Nostris adeo temporibus *Erxlebia* honores summos in arte medica in Academia *Fridericiana* consecuta est. Alias taceo, quae adhuc uiuunt, et poeseos, literarum graecarum, latinarum aliarumque notitia imbutae gloriam magnam adeptae sunt.

Hebraea, earumque characteribus, sicuti Hispanicis, Gallicis et Italicis scite pingendis musicisque instrumentis exercita, quam superioribus annis Lugduni ad confluentiam Saonae et Rhodani salutavi, doctrinam eius obstupui, et versu Heroico condecoravi. Contrarium tenere videtur, *Bertach. in repertorio lit. L. verbo Littera, et ibi Aemilius Maria Manoleffus ante n. 70* quod videlicet virgines non sint imbuendae arte scribendi, dum literas amatorias ab adolescente mulieri et a muliere adolescenti scriptas apertum adulterium indicare scribit, allegans *l. Publia, ff. depositi, sed certe illa in eo casu nihil habet ulterius l. cum de indebito ff. de p̄robat. Felixus in c. scripta n. 12. de fide instrum. illustriss. Cardin. Paris. cons. 54. n. 64. vol. 4. Iohannes Tinrulus Perusinus in viridario Philosophico de discendo asseuerat et feminas esse ad discendum habiles, cum et ipsae mentis sint participes: sed si cum viris comparentur ineptas et inhabiles omnino esse dicendas. Degenerat enim in eis natura, ita vt feminae veluti monstra sint, vt ex *Aristot. colligitur lib. VI. de generat. animal. c. 3. Vnde idem Philosophus II. lib. eiusdem oper. c. item tertio, feminam esse dixit, veluti Marem laesum et mutilatum: τὸ γὰρ (inquit) θῆλυ ὡσπερ ἔστιν ἀρρεν πεπηρωμένον.**

*Num condeceat virgines scire ludere chartis,
taxillis, cythara, etc.*

Ludere chartis, taxillis, cythara, etc. affirmare non aſſim, cum iis homines tempus ipſum non tam conterere, quam potius ſua ſponte tanquam ſatis currentem equum, ut in prouerbio eſt, ſtimulis agere ſolent Ariſtot. VIII. Polit. non attento, quod tatis et teſſeris ludere ſortiri eſt, cum nemo ad iſtos ludos accedat indagandae veritatis cauſa, ſed ſolum quantum velit pecuniarum in euentum chartarum aut talorum periclitetur, hæud locus aut ſi quis de canis aut equi curſu pignore certaret, hæc igitur ſi illicita ſunt, omnes ſimiliter pignoribus concertationes, quae de incertis rerum euentibus inſtituuntur, illicitas eſſe oportet, ad iuuenes proprie pertinent, ad corporis et animi exercitationem, nonnunquam enim illa loca ſupplere ſolent, quae ſi vacua eſſent, otioſis ac pernicioſis occupationibus nimium paterent, quia nihil poteſt eſſe vacuum. Talorum vero ludus, qui a fortuna, vel a verſatili manu et colluſoria iacentium arte totus pendet, perditis decoctoribus et prodigiſ militibus magis conuenit, qui ad Tympani ſonitum omnia ſua exponunt *Jacobus Angliae et Scotiae rex in βασιλικῶ δάμα ad filium ſuum lib. III.* Quid? quod inter ludendum obſcœna proferuntur verba, quae non proſicit ſcire virgines. Quid? quod

quod x) Cythara demulcet et emollit animos, leuesque virginum choros leuiores reddit, pudicitiam abigit, praeterea reliqua incommoda, quae exinde facile oriri possunt, magistro enim opus habent, qui manum rudem dirigat ad tactum. Occasio facit furem. De alea *Patritius Senensis de regno et regis instit. l. III. c. 19. de calculorum sive latronum ludo l. III. 12. Bertachinus in repertorio lit. L. verb. lusus n. 21.* Ludus Cytharae permittitur etiam Clericis, quia David iustus pulsauit cytharam et chorizauit; quod verum in occulto non palam secundum Abbat *in c. cum decorem, de vita et honest. cleric.* Alearum vero ludus ita clericis prohibetur ut non valeat contraria consuetudo, etiamsi ludatur respectu cuiusdam voluptatis, *Abbas in c. Clerici extr. de vita et honest. cler. Actius in tr. de ludo Schach. q. 4. p. r. n. 16.* nisi sint infirmi et recreationis gratia ludant: tunc enim excusantur, ut per *Capram in suis regul. reg. 86. n. 40. Actius de infirmit. p. 2. lit. A. verbo alearum ludus.*

C A P. X V I.

Num illibata censeatur pudicitia virginis ex conuiuio, spectaculis publicis, balneis et jactationibus.

De conuiuio latius egi in *Linca amoris c. 7.* ideo ne hicce longior sim, eo beniuolum Lectorem

K 5

rem

x) *Cythara*) Vix assentior Aust. nam musices studium utilissimos effectus in corpore femineo etiam producere potest; ergo quam maxime commendandum.



rem selego. Plutarchus in Apopht. tradit apud Lacedaemonios prohibitum fuisse mulieribus ad comoediarum spectacula pergere. Fuit et ille mos Græcis, ut testatur *Aemilius Probus* in prooemio vit. Imp. ubi Romanos maxime abominasse tradit, quod mulieres ad spectacula publica interessent. Unde *Theodosius et Valentinianus in l. consensu 8. §. vir quoque C. de repudiis*, enumerant inter causas, ob quas vir uxorem repudiare potest, si vxor Circensibus vel Theatralibus, vel arenarum ludis et spectaculis in illis locis, in quibus haec assolent, celebrari, marito prohibente fuerit. Et *Octavius Augustus teste Suetonio in illius vita c. 44.* Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem adeo summouit, ut in Pontificalibus ludis pugilum per postulatam dislulerat in sequentis diei matutinum tempus, edixeritque mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere.

Ita P. Sempronius Sophus coniugem y) repudii nota affectit non ob aliam causam, quam quod ipso ignorante ludos spectare ausa esset, ut refert *Valer. Maximus lib. VI. c. 5.* Sulpitius Gedelius uxorem, quae aperto capite processerat in publicum, repudiauit, arbitratus illi; nisi ut soli viro placeret, curae haud esse debere. Quid Actæonem in ceruum mutauit, nisi incia sine veste Dianae in balneis visio? *Ouidius lib. III.*

Meta-

y) repudii) Innumera sane repudia nostris temporibus fierent, si exemplum P. Sempronii Sophi sequerentur mariti.

Metamorph. Quid Bathsabeae publice lauatio effecit? Homicidium et adulterium, crimina summa a summo perpetrata rege. Et balnea intrare religiosis concessum non videtur, nisi ratione infirmitatis similisue necessitatis, ut *post gl. in c. omnis 24. quaest. prima scripsit Summa Syluestr. in verbo Balneum numero 2. Summa Angelica in verbo Balneum, §. 1. Attius de infirmitate pag. 2. lit. B.* Quis spectaculorum illorum a Romulo institutorum finis? Raptus Sabinarum virginum: Quanta fiet vanitas saltationum, satis attigit *Cornelius Agrippa in libello suo de vanitat. scient. cap. de saltatione.* Nullum choreis spectaculum ridiculum ac inconditum magis, hae laxamen petulantiae, amica sceleris, incitamen libidinis, hostis pudicitiae, ac ludus probis omnibus indignus. Saepe ibi matrona, ut ait *Petrarcha*, diu seruatum decus perdidit, saepe infelix virguncula ibi didicit, quod melius ignorasset, multarum ibi fama perit, pudorque: multae inde domum impudicae, plures ambiguae rediere, castior autem nulla: pudicitiam choreis saepe stratam, semperque impulsam, oppugnatamque videmus. Romani veteres viri prudentia et autoritate graues saltationes omnes repudiarunt. Nec vlla penes eos honesta matrona saltasse laudatur. Hinc *Sallustius* improperat *Semproniae*, quod 2) cantasset, saltassetque doctius

2) *cantasset saltasset.*) Cantare tanquam corporis exercitium, non improbant Medici v. *Nic. Andry* disq.

stus quam conueniret probae. Quin et Gabinio viro consulari atque M. Coelio nimia saltandi peritia probro data est, et M. Cato L. Murenæ, quod in Asia saltasset, pro crimine obiecit. Cai patrocinator Cicero, id ut recte factum defendere non est ausus, sed constanter factum pernegavit, nemo inquiens saltat sobrius, nisi forte insaniat, neque in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto. Intempestiui conuiuii immoderati ioci, turpium deliciarum comes est extrema saltatio. Itaque saltationem necesse est omnium vitiorum esse postremum. Neque vero facile dictu, quæ mala hic vitus hauriat et auditus, quæ pariant colloquia et tactus, saltatur inconditis gestibus et monstroso pedum strepitu ad molles pulsationes, ad lasciuas cantilenas, ad obscœna carmina, contrectantur puellæ et matronæ impudicis manibus at basibus meretriciisque complexibus, et quæ abscondit natura, velauit modestia, ipsa lasciuia tunc sæpe nudantur, et ludi tegmine obducitur scelus. Quid diuo Iohanni abstulit caput? Nisi impia impiæ illius puellæ ante Herodem saltatio, Matthæi decimo quarto. Hinc dicit *sæctus Hieronymus*, se non credere illi viro, qui se illaesium ab eiusmodi spectaculis abiisse dicit, et alibi: Saltatio est circulus, cuius centrum est Diabolus, et Chorea vtrum fit

disq. num præcipua exercitatio in loquela? Sed in publicis concertationibus, ut nostris fieri temporibus solet, cantare ingenuas virgines non decet. Idem valet de saltationibus.

fit licita; et vtrum inspectio chorearum, ludorum vel ioculationum fit peccatum tradit *summa Angelica in verbo Chorea per tot.* quo beniuolum Lectorem telego.

C A P. XVII.

Num virginis peregrinantis illibata praesumatur pudicitia.

Resp. Quod non. Multi enim in a) peregrinationibus impenduntur iunius, quos mulieres facere negantur ex insita a natura auaritia cum sint tenaces, et vt loquitur *Accurs. in l. Nesennius 34. ad verb. e contrario ff. de negot. gest.* natura auarissimae adeo, vt *Baldus in fin. l. si a sponso 16. C. de donat ante nupt.* ibi, quod raro accidit, dicat, donationem mulieris miraculi loco habendam esse. Tum omnibus hominibus teruntur viae, qui pretio, donis, illecebrisque, nec non vi pudicitiam mulierum appellant, vt loquitur *Iuris Consultus III. Ulpianus in leg. apud. Labeonem 4. §. appellare ff. de iniur.* et quid non facit auri sacra fames? secundum Virgil. Quid eripuit Diuae Iacobi filiae pudicitiam? nisi curiositas, cum egrederetur, vt textus habet *Gen. XXXIV.* vt filias illius regionis videret, adeo vt *Ulpian. proficisci procos. illius sum*

A KOLOZSVANI EGYPTIUM
vxore

- a) *peregrinationibus*) Non in vniuersum omnes peregrinationes interdicens esse arbitror. Nam non video, quid obster, quominus nequeat virgo cum parentibus, illibata pudicitia, peregrinari?

vxore existimet *l. 4. ff. de offic. procos.* addens, ut si quid vxores eorum, qui ad officia proficiunt, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur, et communiter mulier peregrinanti parum habetur honoris, adeo ut idem *Vlp.* Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur *in l. 15 § si quis ff. de iniur. tradat.* Nonne Abrahamus secum ducendo suam Saram in periculum apud Pharaonem incidit *Gen. XX.* Illibata igitur et integra haud remanere putatur pudicitia illius, quae ad exterarum prouincias peregrinatur et quidem in Italiam, Venetias, ubi tot scortorum millia, cuius etiam causa haec quaestio ventilanda aliquando suscepta. Nam feminarum peregrinationem semper suspectam esse, et turpitudinis, impudicitiaeque indicium prae se ferre probatur ex eo, quod Tragicis et Comici Poetae, peregrinam, aduenientemque mulierem frequenter pro impudica ac turpi usurpare solent. Exemplo est apud Terent. *Chrisis illa ex Andro in Andr. Act. 1. sc. 1.* Hinc et mares apud Ethnicos quondam Romae arcebantur a sacris *Bonae Deae* adeo, quod ipsae etiam masculorum picturae fugerentur, ne forte muliebris animus inter sacrificandum ex huiusmodi inspectione impudicis desideriis foedaretur, asseriebant enim *Bonam deam* fuisse castissimam et adeo virginitate condecoratam, ut nunquam fuerit egressa domo, neque dum vixit, ullum virum viderit. Hinc Menander apud Stobaeum canit:

*Intus manere mulierem oportet
Bonam, egredientes autem foras, nullius Pretiis
sunt.*

Et Euripides in sua Iphigenia

Maneat domi, pudicam enim decet pudor.

Et Iustinianus Imp. in Nouell. 124. ut litigantes iurent, etc. laudat. Si mulier fuerit, quae propter honestatem vitae extraneis viris se monstrare non consuevit, etc. ibique Lucas de penna, Et in corstis. x. de commentu. Alciatus in Emblematis bos ponit versus :

*Atma Venus quae nam haec facies? quid deno-
tat illa*

Testudo, molli quam pede diua premis?

*Me sic effinxit Pbidas, sexumque referr
Femineum nostra iussit ab effigie.*

*Quod remanere domi et tacitas decet esse puellas
Supposuit pedibus talia signa meis.*

Mulieri enim silentium est modestia

*Pulcerrimum, intus vero tacitam manere
domi.*

Scip. Mazzell in apparatu Italico, delle statue trociate nella distruta Cuma c. della statua di Venere. Nemo ita caute unquam se gessit, quin carperetur a malitia, nec virgo ita pudice vitam instituit, quin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentius facto, a libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit.

CAP. XVIII.

Num illibata censetur castitas virginis, ad quam frequenter accedunt scholares.

Jacob. Eutrig. et Bald. in l. neque natales, C. de probat. dicunt, quod aliquam esse meretricem, probatur per hoc, quod *b)* Scholares passim de die et de nocte vadunt ad eam, licet non probetur tactus, vel alii actus venerei, a communiter accidentibus. Quando enim scholaris loquitur, non praesumitur ei dicere: *Pater noster*, secundum *Bald. in de. l. neque natales, et habetur per Bald. et Iob. de Imola in l. fin. ff. de hered. inj. et faciunt notata per Bartolum, in l. 3. ff. de furt. et notat. per eundem Bart. in leg. 2. §. fin. et leg. quod ait lex in princip. ff. ad l. lul. de adult. et not. per Panorm. et Canon. in c. tertio loco circ. fin. de probat. Unde et idem *Bald. in l. eadem C. locati* dicit, quod locans domum suam scholari iuveni, non poterit eum expellere, ob hoc quod meretrices in eam induxerit, quasi in re locata male versatus esset, quia hoc praesumere debuit a communiter accidentibus. Hoc tamen secundum eundem non habet locum in sacerdote et viro religioso, quia si amplectitur mulierem, praesumitur causi benedicendi hoc facere non causa libidinis, ita dicit *gl. singularis, in c. absit 11. q. 3. Spec. de praesunt.**

b) Scholares) Haec opinio principio nititur in superioribus tradito, virgines esse arcendas a liticis.

sumt. §. 2. vers 1. Sed a tali benedictione libera nos Domine, Monachis enim hodie nihil peruersius, nihil petulantius, magisque plenum malitiae esse *Coras. in lib. III. Miscell c. 7. in fin.* dicit, allegans Baldum, qui nec diuum Thomam Cantuariensem virum eximiae sanctitatis excipere voluit *in c. 1. ut lite pendente*, et quantum lenociniis ipsis conducat religio, ipsa Paulinae castissimae inflexibilisque matronae historia ab Egesippo descripta testatur, quam Iudis sacerdotes cuidam Equestris Ordinis adolescenti pro Anube Deo prostituerunt. Quid etiam in istis possit auricularis illa confessio, ipsa tripartita indicat historia: nec desunt, inquit *Cornelius Agrippa in libro de vanit. scient. cap de arte meretricia*, si referre velim, cognita recentia exempla: habent enim Sacerdotes Monachi, Fratreculi, moniales et quas vocant c) sorores, specialem lenociniorum praerogatiuam, cum illis religionis praetextu liberum sit quocumque peruolare, et quibuscumque quantum et quoties liber, sub specie visitationis et consolationis aut confessionis secreto sine testibus loqui, tam pie perfonata sunt illorum lenocinia. Et sunt ex illis, quibus pecuniam terigisse piaculum est et nihil illos mouent verba Pauli dicentis: Bonum est mulierem non tangere, quas illi non raro impu-

c) *sorores*) Notissima est Pauli Samosatreni historia virgines secum *sororum* nomine ducentis, quae et *evangelistae* appellatae sunt.

impudicis contrectant manibus, et clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras virgines, vitiant viduas et hospitem suorum adulterantes vxores, nonnunquam etiam Iiaci praedonis instar abducunt et Platonica lege cum popularibus suis communes prostituunt, et quarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora sacrificant Diabolo, atque his multo scelestiora, et quae nefas est loqui, insana libidine perpetrant. Et illud est praesumptibile *Benedicere*, inigne exemplum introducit *Iob. Iouianus Pontanus in dialogo suo qui inscribitur Charon*, de Sene Cardinali et puella Cypria meretrice, de infelici puella et sene sacerdote, vbi sanctimoniam illorum describit, quo beniuolum Lectorem telego.

C A P. XIX.

De probatione virginitatis apud Romanos.

Romae *d)* erat delubrum pudicitiae matronalis, hodie dicatum est *Mariae Aegyptiacae*, in ea erat *Bucca veritatis*, quae imago marmorea erat apertis labiis. Huic *Volaterrani* regis filia manum in os imposuit ad virginitatem suam probandam, quum vetula quaedam *Fetulana* impudicitiae eam argueret, vbi paulo post altera puella eiusdem criminis accusata, idem probationis testimonium subire vellet. contracto ore imago manum ipsi amputauit *Iohann Jacob. Boissar-*

d) Romae) De hoc delubro consulendi scriptores, qui Romae descriptionem dedere.

Boissardus in Topographia Romae die 1. Et ipsis Ethnicis in virginitatis testimonium in acula quaedam facta fuisse commemorantur, ut habet *S. Augustinus de ciuit. Dei lib. X. cap. 16.* de Q. Claudia Vestali: Cum enim nauis haesisset in Tiberi, nec vi hominum, boumque loco dimoueri posset, cum aduerso pudicitiae rumore laboraret ipsa Claudia, quod cultus esset studiosior, disincta zona, et naui alligata, precata Deum, ut si casta esset nauis sequeretur, nauis illam sequens est, quod etiam habet *Sabell. lib. II.* et alii multi. Et pro Ethnicorum virginitate illud habet etiam ibidem *S. Augustinus* de Tucia etiam Vestali, quae iussa dicere pro se causam, cum de pudicitia sua male audiret, ad ripam fluminis progressa multis comitantibus cribrum fluuiali aqua plenum, ad Pontificum conspectum, quorum de causa cognitio erat, detulit: accusator quoque tametsi attente requisitus, nusquam apparuit amplius, ut etiam habet *Sabell. lib. II. et Maximo, lib. VIII.* pro pudicitiae testimonio sunt et Christianae fidei miracula. Fuerat Cune-gunda Augusta Henrici I coniux falso adulterit infimulata, illa innocentiam suam purgauit, quin et se Veneris nesciam probauit cum quindecim passus super e) candens ferrum, nudis pedibus, illaesis plantis perambulasset. *Bapt. Fulgos. lib. VIII.*

L 2

VIII.

e) *candens ferrum*) Hoc remedio veteres probandae innocentiae causa vsi sunt, nihilo tamen secius et hac ratione multae fraudes commissae sunt.

VIII. *Nauclerus generat. 35. in pr. Krantz. metropol. lib. IV. Et Eborensis tit. de absolut. reorum. Simon Maiolus in dieb. canicular. colloq. 3. §. mulier. pag. 102* Hilce et Agathae Catauiensis miraculum adnumerari debet, quae ut pudicitiam seruet, Quintiano praetore contempto, cum super acutas testas et ardentes prunas volutaretur, minus poenam doluit, quam nuditatis ignominiam, ut tradit *Eborens. ex Marul. lib. IV.* cui accedit et Iphygenia Aethiopum regis filia virgo, quae contemptis Hirtaci nuptiis concremari iussa est, tantum abest, ut ab igne laederetur, quin potius flamma ipsa virginitatis defensatrix ab ipsa se auertens in regiam profiliit, quam funditus consumpsit. *Eborens. ex Marul. lib. IV.*

C A P. X X.

An ex mammaram grossitie arguatur virginitatis amissio.

Aegidius in tractat. de vrinarum iudiciis part. 2. de signis conceptionis:

*Matrix sicca Venus sopita, retentio fluxus,
Discolor affectus, vomitus, compressio virgae.
Mammae grossities et perturbatio ventris
Ex mellificato, conceptus signa probantur.*

Gentilis de Fulgineo in comment. ibid. videtur resp. quod sic. quia sanguis redundat ad spongiositatem mammillarum, unde ingrossantur? sunt namque continui meatus a matrice ad mammillas

millas, per quorum concinnitatem fit transitus
 derivationis ad superiora, id est, mammillas.
 Verum cum loquatur de conjugata prout ibi, de
 virgine non facile admiserim, cum aliae causae
 et supra grossitiei mammillarum esse possint.
 Nam natura sexui femineo maiores et pleniores
 dedit mammillas, ut quasi tutamen et regimen
 cordis sient, ut si illud calefecerint, rursum ab
 eo calefiant, et si quando maiores crescant, causa
 aliorum accidentium malorum sunt. Verum hoc
 pendet maxime ex proprietate naturae, prout
 aliqua genere *f*) pinguis siue fluida est quam
 aliunde, prout tradit *Jacobus Theodor. Tabernae-*
mont. in sua medicina p. 2. c. 3. §. 1. ibique re-
 media ponit contra nimiam grossitiei §. 2.

C A P. XXI.

Num virginitas ex g) urina cognosci queat.

Hic Medicorum schola adeunda est: ut-
 pote cum unicuique in sua arte sit credendum.
I. semel, C. de re milit. libr. XII. Bald. in cap.
cum inter. de elect. per modern. in l. I. §. fin. ff.
de V. O. ibique Alciat. addo text. in leg. 1. circ.

L 3

princ.

f) pinguis) Recte iudicat Auſt. et magnitudo
 mammarum ex quarundam feminarum sententia,
 nequaquam aspernanda partem sane magnam
 pulchritudinis constituit.

g) urina) Totum hoc caput Vroscopis praesagien-
 di facultate praeditis et sapientibus viris relin-
 quendum esse censemus.

princ. ff. de ventr. inspic. cap. ut constitueretur
50. distinct. l. I. §. sm. ff. de V. O. Spec in tit.
de probat. §. videndum, co. pen. vers. hoc quoque.
 Quidam tamen Medici certum indicium ex vrina
 haberi posse negant, cum ex varietate ciborum
 vrina coloretur. Plurimi tamen certum indicium
 ex ea statuunt, infirmum hominem a sano ex ea
 discernunt, morborum origines ex ea asserunt.
 Et tradit *Aegidius in tract. de urin. iudiciis*, vrinam
 virginis quasi subeitrinam debere esse, unde
 vrina liuida et nimis serena virginem declarat
 esse constantem. Et tradunt Secretistae, si semen
 portulacae spargatur super carbonas, ita ut illa
 fumum ad se recipiat, si fiet corrupta, mirabilia
 videri. Idem referunt de lapide Gagathe pul-
 verisato, si ipsi insciae detur ad potandum, si in-
 tacta est, retinet ipsum, sin minus, vrinam red-
 dere tenetur etiam contra voluntatem, ut refert
Bart. Angelus de proprietatib. verum. lib. XVI.
c. 49. de Gagathe. Michael Scotus in Physiognomia,
c. 10. Virgo, inquit, in tactu pitulae nasi dignosci-
tur, quia cartilago est solida et cum est semel
corrupta, sentitur partibilis, idem cap. 22. et 23.

•CAP. XXII.

Num verum, et quae causa, quod Scaliger de
radice quaedam refert.

Si virgines, quae praesunt pascuis, super ea
sedeant, aut vrinam faciant, eis perinde rumpi
naturae membranam, atque si a viro fuerint
vitiatae.

Refert

Refert *Scaliger* de radice illa, quae in Atlantidis iugis occidentalibus, quae pars Suruag. ab incolis nuncupatur, nascitur, *exercitat.* 175. quod quoniam a veritate longe abesse videatur, ad rapturam namque istius membranae fortis actio conflictus et congressus requiritur, quae non sine sanguine dirimitur. Ratio tamen si aliqua occulta^{b)} indagari queat, haec est, quod acutum et fortem odorem radix illa de se spargat, qui summam luxuriam et pruritus excitet, quo membrana illa rumpitur, exemplo lapidis Gagathis qui paleas, et Magnetis qui ferrum ad sese trahit.

C A P. XXIII.

Num ex osculo illibata censeatur pudicitia virginis.

Thomas Cantipratanus in libro, qui inscribitur *Bonum vniversale. libr. II. cap. 30. §. 49.* Quinta, inquit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Quod Salomon in Prouerb. c. VII. insinuans de muliere garrula et vaga, apprehensum, inquit, iuuenem osculatur. Ratio huius est, quod luxuria per osculum incitatur, quia in osculantibus conuenientia partium fit, et animales spiritus coniunguntur. Vnde Aristoteles dicit: quod equi ante coitum conspirant anhelitu, et per hoc ad luxuriam prouocantur, absit itaque ab vlla Christiana mente, licitum et sine crimine credendum osculum, dum veridicus Augustinus

L 4

in

h) occulta) Occultas causas prorsus negamus, quia haec ut plurimum asyla ignorantiae sunt.

in regula sua cap. 20. etiam fixum osculum tanta poena censuit vindicandum. Osculo pudicitiam mulierum delibari a veteribus creditum est. Est namque osculum praeparatorium proximum ad factum, et in Linea amoris, quarto constituitur loco, ut Donatus ad illum Terentii locum: Certe extrema linea amare haud nihil est, adnotavit; et *Antonius Mancinellus apud Horatium lib. I. in carm. ode 13.* Osculum ad quartam partem Veneris refert hoc versiculo:

Visus, et Alloquium, tactus post oscula factum.

Hunc versum refert quoque *Gloss. in l. quod ait, in pr. de adulter.* et nominat res Veneris *Matth. de afflict. in constit. Neapol. Rubric. 21. num. 13. lib. 1. et Oviarius in primo de arte amandi princeps et heros amator famosissimus tradidisset adulterium Dec. in Rubric. de iudic. col. 2. Sylva nupt. lib. IV. n. 77. fol. 138.* quia ex huiusmodi praeparatoriis arguitur praeparatum et intertur adulterium *Cagnol. in Rubric. C. de eisd. num. 28. et ibi Bellonus n. 59. cum multis seqq. Couarruu. in tractatu de matrim. in 2. part. cap. 7. §. 6. n. 3. Bald. in l. aduersus C. de furt. et mulier honesta non dicitur, quae sit per aliquem osculata vel cognita etiam semel Pal. de Castro, conf. 303. quamuis contrarium teneat Marcus Mant. Patavinus, qui sexaginta annos publice docuit, in Rubr. de iudiciis.* Verum consuetudo plurima tollit, in quibusdam enim Germaniae locis, oscula sumere vsitatum est, in aliis contra summum dede-

dedecus et grande habetur nefas *Martinus Nauarr. in compend. manual. cap. 14. n. 42. ait.* Non peccat mortaliter, qui tangit amore honesto et iocoso, sine mala intentione, pectus mulieris, mammillas manū premit, pedem tangit, imo ubi mos est, amplectitur, osculatur, licet vterque sit iuuenis, dummodo non sit adspēctus vel tactus prætium olēcoenarum, quibus mulieres dicuntur. Olen apud Romanos oscula feminis dare perquam vſitatum erat, et Cato, vt refert *Plin. lib. XVI. hist. nat.* nullam aliam ob causam propinquis feminis osculum libare solitos ait, nisi vt scirent, an vinum olerent, ex quò quidem iudicium pudicitiae sumebant, hoc etiam testari videtur Iuuenalis, cum ait:

*Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
Quarum non timeat pater oscula, etc.*

Nec existimandum est, i) omne osculum esse peccatum, vt illud in primis quod parentibus et cognatis in beneuolentiae argumentum impenditur, vel etiam ex honesta patriae consuetudine, quibusuis extraneis, de hac re *Caetan. in Summula.* Osculum, inquit, beneuolentiae bonum ac laudabile est iuxta morem patriae, inter quascunque personas sit, Osculum vero libidinis, nisi inter coniuges, est peccatum mortale. Sic ille: Idem docent conscientiae doctores communiter omnes *Georg. Eoluenarius in not. ad Caentip. d. c. §. 50.*

L 5

CAP.

i) *omne osculum*) Legi merentur quae Müllerus in dissertatione de osculo sancto prodidit.

CAP. XXIV.

*Num exheredari queat virgo viripotens sine
conjenu patris nubens.*

De filio controuertitur inter Dd. quia haec causa inter 14. illas causas, propter quas exheredari liberi a parentibus possunt, non inuenitur *Nou. 115.* Si vero liberi ad turpem et infamem personam se applicauerint, recte exheredantur, pertinet enim ea res ad dedecus et infamiam totius familiae, et a Iustinian in d. *Nouell.* adiecta est his verbis: Si liberi cum turpibus conuersati fuerint, fac. *l. III. §. si emancip. ff. de honor. poss. contra tab.* et hanc opinionem communem esse dicit *Wesemb. in parat. ff. de lib. et posth. n. 1* Tenet tamen Duac. Ius Canonorum non adimere facultatem exheredandi filii, quamuis velit ratum manere matrimonium, ne maius inde scandalum oriatur, nam multa rata esse tum iure civili tum Canonico, quae tamen fieri prohibentur *not. in c. ult. de secund. nupt.* sic idem hic dicendum putat, ut quamuis ratum maneat matrimonium, quod inuito patre contractum est, nihilominus possit puniri filius poena legitima, qui sine consensu patris contraxit matrimonium, idem tenet *Castal. in l. si filium, C. de inoffic. testam. Dec. in l. nuptias ff. de R. I. Chassaneus in consuet. Burgund Tit de successione §. 2.* quorum opinionem Carolus V. secutus est, facta ea de re in haereditariis suis terris constitutione. Verum negatiua opinio de iure verior est. Ex-
here-

heredationes enim sunt odiosae, odia autem secundum regulam iur. in 6. non sunt amplianda, sed potius restringenda. Vnde et *Canis. 10. Ingolstad. in disput. de sponsal. et matrim. th. 13.* cum matrimonii summa libertas sit, *c. Gemma extra de spons. l. Titia ff. de V. O.* etiam cum infamibus personis, *c. inter opera, extr. de sponsal.* omnino statuit patrem obstringi et ad dotandam et instituendam filiam, sine assensu eius, nuptias contrahentem. De filia plurimi affirmant, posse eam exheredari, si ante annos 26. nubat absque k) parentum consensu, vel si post eam aetatem nubat seruo, aut meretricio more viuat, ita *Cuiac. ad Nouell. 18. sibi partim contrarius 3. obseru. 5.* Verum facilius ignoscendum filiae innuere videtur Iustin. Imp. quando filio furiosi ad exemplum filiae furiosi matrimonium sibi copulare permittit *Instit. de nupt.* et ibi *Accurs. de filia*, inquit, facile consensum fuit, quia forte calidior sanguis est in ea, *vt in Aut. de non eligend. §. cum igitur.* Vel verius propter fragilitatem sexus, argumento *Instit. quib. alienare licet*, opinatur et hac de causa, quod filios non gignat filia in patris sui potestatem, itaque ipsi inuito non augebit familiam, de filio vero dubitabatur, quod forte, qui ex eo nascerentur, in aui inuiti potestatem nascerentur, itaque inuito illi ab intestato successores essent, et imputet pater sibi, quod

k) parentum) hac tamen cautione, si iustas dissentendi causas habent, alias consensus parentum per consistoria suppletur.

quod nuptias filiae distulerit, nec de quaerendo ei viro sollicitus fuerit. Ne tamen o filia virgo ex eo licentiam quiduis faciendi capias, sed consentum parentis, nam hoc fieri debere, et ciuilis et naturalis suadet *Inquit. de nupt. in princip. Martin. Nauar. in manual. compend. pag. 4. c. 14. n. 15. verecunde et cum pudore exspecta.*

C A P. XXV.

In virginem si quis consentiat, quam postea ab alio compressam reperit, quid iuris sit.

Hocce praemittendum duxi, reges cuiusdam partis Asiae fuisse, qui nequaquam permittebant virgines aliquas nuptui dari, nisi prius singulas quasque parentes earum eas sibi ducerent, ut quascunque veilent stuprarent, et sic floribus delibatis, ut desponderentur, mittebant: Nec audebant proci uxorem aliquam poscere, nisi eam, quam comperissent, a regibus veniam nuptiarum impetrasse, refert *Franciscus Patricius, de regno et regis insit. lib. IV. tit. de oblectat. 16.* Verum illud oblectatio eorum erat, apud nostris insania. Ad punctum quasi Dd. non leuiter altercantur. Dissolui matrimonium verius est, quod ab Ecclesiis et earum Consistorialibus communiter est approbatum, legibus quoque diuinis magis consonum, *Beust. p. 2. q. 34. Beza de diuort. et repud. p. 228 Dissentit Couarruu. in epit. caus. matrim. p. 2. c. 3. §. 7. late Wesemb. ad tit. ff. de ritu nupt. n. 8. persequitur hanc quae-*

quaestionem, et tamen concludit pro matrimo-
 nio videri pronuncian- dum, per *c. fin. de re iudic.*
et paulo inferius addicit *Vlp. in l. si uxor 13 §.*
fin. de adult. ibi: Stupri accusari eam mulierem
 non posse, quae post illud ducta est. Sero enim,
 inquit, accusat mores mulieris, quos uxorem du-
 cendo probauerit, et cum ibi non distinguat in-
 ter ignorantem et scientem, sed loquatur gene-
 raliter, nec nos distinctionem facere debere pu-
 tat *leg. de pretio, de in rem act.* Verum quod
 cum pace ipsius dixerim, videtur mihi in ea lege
 distinguendum, quod patet ex §. praecedente,
 ubi repudiata uxor reducta ex delicto, quod in
 matrimonio admisit, accusari non potest, abole-
 uit enim prioris matrimonii delicta reducendo
 eam, sequitur §. *in fin incipiens* Idem dicend.
etc. cum ad §. loquatur de delicto prioris matri-
 monii noto cognito et famato, ut sic vir redu-
 cens eam sciens ex delicto prioris matrimonii
 eam accusare non possit, cum videatur ipse ipsi
 remisisse reducendo eam puto firmiter *seq. §.*
dicend. etiam intelligi debere de sciente, qui
 sciens aliquam corruptam, vel stupratam duxit,
 ut ita sero accuset mores eius, qui uxorem du-
 cendo probauit, quod dictio in princip. idem
 innuit, non vero de ignorante. Pone ergo *V p.*
 duos casus diuersi facti sed vnus iuris, prior est
 de reducta, alter de ducta, eiusque morum proba-
 tione antecedente. cui consentit *l. XLVII. solut.*
matr ubi si mulier viri leuocinio adulterata fue-
 rit, nihil ex dote retinetur a marito, cur enim
 impro-

improbet maritus mores, quos ita aut ante corripuit, aut postea probavit, quae *l. similiter* loquitur, de viro sciente corruptam aut praebente eam lenocinio, et videtur *d. §. loqui* de eo, qui duxit aliquam, cum qua ipse stuprum ante commisit, argumento §. praecedentis loquentis de reducente adulteram quam ante habuit, quod et innuit, verbo probavit, qui enim possum aliquid probare, quod ante nesciui. Denique ad suam negatiuam tutandum adducit Wesemb. historiam Iosephi *Matth. I.* (qui a iustitia commendatur, quod cum Maria coniuge, quam ex alia praegnantem suspicatus, diuortium facere secreto instituit) et ad eam respond. illud exemplum praedictum ad hanc causam afferre magnum non posse, non enim exemplis, sed legibus esse iudicandum, *l. nemo. 13. C. de sent.* nec de facto, sed de iure quaeri, quamquam ibi factum nullum propositum sit, sed tantum cogitatio pii viri et iusti. quae ad nullum actum processit, et denique dicit Wesemb. valuisse illo tempore etiam legem, stetit *πελιτεϊαν* Mosis, ut eius iure recte uti, et quandam illi *επιείκειαν* adhibere moderatus homo potuerit. Verum nec ego illud exemplum hucce trahendum censeo, minus enim verum est, quod ob suspicionem Iosephus voluerit Mariam deserere, ut putat Wesembec. Nam textus dicit, eum iustum, ideo enim ut *Origenes Hom. in nativ. Christi vigilia* tradit, eam dimittere voluit, quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificentum in eadem cognouerat, cui appro-

approximare sese indignum existimabat, ergo humilians sese ante tantam et tam ineffabilem, quaesivit se longe facere, sicut et B. Petrus Domino se humilians aiebat: Recede a me Domine, quia homo peccator sum, vel sicut iste centurio ad eundem Dominum dicebat: Non sum dignus, ut tectum meum intres, vel sicut S. Elisabetha ad ipsam locuta est Mariam: Et unde hoc mihi, ut veniat Domini mater ad me. Sic et Ioseph, iuste humiliat sese, in omnibus cauebat et timebat sibi tantae sanctitatis coniunctionem adhibere, ideo voluit eam occulte dimittere. Verior igitur opinio est dissolui eiusmodi matrimonialem contractum: Quis enim aes pro auro retineat? Quis alienos foueat liberos? Cuius ulterius indagandum relinquo.

C A P. XXVI.

*Num sit melius uxorem ducere virginem,
quam viduam.*

Virgo et k) vidua pari iure censentur, l. inter liberos 6 ff. ad l. Iul. de adult. ibi adulterium proprie in nupta committitur, stuprum vero in virgine et vidua. Verum in hoc casu praeferenda videtur virgo. Duplex enim labor est ei, qui viduam ducit, prior ut dedoceat alterius viri mores, alter ut suis assuefaciat, quam rationem quidem quanquam dissimili artificio, tamen mani-

l) *Virgo et vidua*) Hanc quaestionem peculiari lectuque digna dissertatione Grupenius ille discutit.

manifeste docuit *Timotheus Musicus*, qui duplicem mercedem exigebat a discipulis, qui alium habuissent praeceptorem. Vidua enim, si non omnia ex voto succedant, statim allegat et recenferet mores et acta prioris *m)* mariti, ipsamet imperium, cum hoc genus admodum libidine regnandi ardeat, arripere audet: hinc contemptus, perpetuumque iurgium, et ridicula vulgo res est, et cauillis hominum obnoxia, uxorem viduam ducere, quod vel tritum apud iuris civilis Dd. dictionem *Bulgari IC* discipulorum in praeceptorem satis ostendit *gl. ad. l. rem non nouam, etc. C. de iudiciis*, Bulgarius enim vespere viduam uxorem duxerat, et mane *l. illam Rem non nouam, etc.* explicare incepit, quare derisus fuit ab autoribus, ut *notat. Accurs.* Sed et Verrius Flaccus, ut refert Varro iuris Pontif. peritissimus eos, qui viduas ducerent veteres fossas tergentibus comparare perquam facete solitus fuit.

Haec enim eius fuisse sententia fertur, quia feriis tergere veteres fossas liceret, nouas facere ius non esset, ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum, *Macrob. lib. I. Saturn. c. 15. Alexand. ab Alex. Genial. dier lib. II. c. 5.* Quamobrem non immerito praecipit *Hesiod.* virginem ducendam esse, ut gratis moribus imbui possit *lib. II ἔργων καὶ ἡμερῶν*

Παρθεν-

m) mariti) Neque haec a nostris prorsus aliena esse videntur temporibus. Ergo nihil noui fit sub coelo.

Παρθενικὴν δὲ γαμῆν ὡς κ' ἡθεα κελρα διδάξης
 eiusdemque sententiae est *Aristoteles lib. 1. Oe-*
conom.

C A P. XXVII.

Num conducatur virgini iuveni nubere seni sexage-
nario de ponte acciicendo.

Quare sexagenarii de ponte deiici dicantur, tradit *Marlianus in Topog. urbis Rom. l. VII. cap. 7* Romae post incensam a Gallis urbem ob inopiam cibariorum decretum latum, ut Sexagenarii e ponte sublicio, cuius vestigia adhuc in medio alveo Tiberis ad Auentini montis radices cernuntur, in Tiberim tanquam patriae inutiles deiicerentur, unde Sexagenarii *Depontanei* dicebantur. Veritas tamen hoc habet quod Sexagenarii a suffragio repellebantur, et ita eos ponte deiici solitos ferunt, ast neutram harum opinionem probandam fore censet *Hier. Ferrutius in addit. ad Marlianum*, cum non habeant aut certos auctores, sed vulgi prorsus sit opinio. Quid, suadet: Si vis nubere, nube pari. Quae enim amicitia inter coniuges impares? inter n) sexagenarium et iuuenem puellam? quam iocunditatem, proprium connubii, puella a sene expectabit? *Aristoteles* duo de viginti natas annos puellas nuptui

n) *sexagenarium*) Belle de eiusmodi matrimoniis iam laudatus Ouid. ait: *Turpe senex miles, turpis senilis amor.*

nuptui collocandas cenlet, virum, autem sexto et trigésimo aetatis anno opportune uxorem ducere asserit; eiusmodi aetates perfectae sunt ad sobolem procreandam, quod et causa fuit *Imp. in. l. 27. C. de nupt.* qua sexagenarius minorem quinquagenaria ducere prohibetur. Cum sint tria bona matrimonii fides, proles et sacramentum, *cap. omne itaque 27. q. 2. Curtius conf. 66. sapienter, col. 3. Iason. in l. I. col. 12. ff. solut. matr. Iob, Lup. in. Rubr. de donat. inter vir. et vxor. char. 12. in col. 1. Gilbert post 2. Oeconomicorum Philos. in quaest. chart. 6. deficiente vno, et sic bono prolis non valet matrimonium, Praepos. in cap. tanta col. 3. et seq. C. qui fil. sine leg.* Et per hoc fundamentum *Portius Inst. de nupt. col. 3.* dicit semen non posse nubere. Cum igitur isti adeo senes non possunt dici habere spem prolis, nec eius respectu contrahere matrimonium, videtur, quod uxorem capere non possint: non enim sufficit eis, quod super ripam Acherontis vitulus depastus sit, nisi antrum subintrauerit, *Praepos. in c. fraternitatis in pr. de eo qui cognou. consang. vxor. Portius Inst. de grad. cog. col. 3.* quia verus coitus non sit sine erectione virgae. *Aristot. part. 4. probl. 23.* et nisi intret, nec sufficit emittere semen inter crura. *Curt. conf. 98. incip. Christoph.* nec sufficit etiam recte ambulare si iter non perficiat. Et sic habere hastam rectam sine effectu. *Soc. in c. l. I. col. 3. ff. sol. matr. Sylva nupt. lib. II. n. 12.*

CAP. XXVIII.

Num virginitas totaliter perdatur actu Venereo.

Angelus *Clauffinus* in *Summa* in verbo *virginitas*, §. 2. Quae requiruntur, ut amittatur Virginitas? Resp. quod requiritur primo pollutio completa, ubi sciendum dicit, quod triplex humor de genitalibus stillat, primus sc. semen, secundus humor similis semini, qui est medius et stillat quandoque ex solo tactu vel audita turpium, tertius est urina. Perditur autem Virginitas per solam seminis resolutionem quae locum coitus supplet, vel eius complet delectationem. Secundo requiritur quod talis delectatio sit ex voluntate operante vel consentiente vel non dissentiente, vel non, quantum potest retinente; nam voluntate de medio sublata omnis actus est indifferens *Bald. in l. sedissimam per illum text. C. ad l. Iul. de adult.* non ergo desinit esse virgo, cuius virginalis claustrum eruptio facta est medicinali arte ita morbo exigente ut docet *Maesc. de prop. in conclus. incip. Virginitas, n. 7. Thom. Aelius. de infirm. p. 2. lit. V. verb. virginitas.* Alii tamen volunt, quod si etiam pollutio non sequatur, ut in illis, qui sunt ante tempus, seminis, qui tamen explent coitum, vel per turpem actum vel per commixtionem cum alio et huiusmodi amittatur et placet, tamen per poenitentiam recuperabitur. Ulterius §. 345 *hinc Mart. Nauarr. in com. man. praec. 6. n. 1.* Vis inquit absoluta et coactio ad fornicandum sine consen-

su voluntatis, licet aliquam delectationem accipiat de ipso actu, dummodo non cooperetur, neque in ipsum actum, neque in delectationem consentiat, excusat a peccato et amissione virginitatis ex S. Lucia. Idem *dicto lib. prael. 6. n. 3.* Non est peccatum, quando omnino renitentis puellae o) virginitas violatur, adde quod nec corrumpitur virginitas, sed duplicatur ad coronam, teste S. Lucia Syracusana, ut refert *Gratianus 23. b. 5.*

C A P. X X I X.

Num virginitas semel amissa possit restitui.

S. Hieronymus in *epist. ad Eustach. et relat. 32. q. 5. c. si, Paulus super Amos V.* Virgo Israel cecidit, et non est, qui suscitet eam. Audacter dicam, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest, post ruinam. Valet quidem liberare de poena, sed non valet coronare corruptam, etc. habet enim hoc donum virginitatis sicut sericum, quod cum semel in lutum cadit, nunquam perfecte abluitur, quia semper macula appareat. Idem dicit lex, quod virginitas restitui non potest, *l. I. in pr. C. de rapt. virg. ibique Salicet.* Quidam sic intelligunt, id est, quod Deus non potest facere, quin fuerit corrupta, quia factum non potest esse non factum, *l. in bello*

o) *virginitas*) Haec ratio nostris temporibus omnem vim perdidit probandi.

bello §. Facti 2. ff. de captiv. Et quod hic dicitur, non refertur ad carnis corruptae restorationem, sed virginalis palmae retributionem et Dic: Non potest, idem est, non congruit eius potentiae, ut aureola coronet corruptas, hoc enim esset contra iustitiam, et ideo illud non potest, ut *arg. de pen. d. 2. §. charitas, sequuntur, S. Augustinus. S. Ambrosius. S. Iohannes Chrysostomus, quos refert Basilius Gradi in trattato della verginita c. 16 L. Apuleius in Apologia.* Sola virginitas inquit, cum semel accepta est, reddi nequitur: ibique *Scip. Gentilis in not. num. 911. Simon Maiolus in dieb. canicular. colloquio 4.*

C A P. XXX.

Num fiet sufficiens probatio amissae virginitatis, absentia Hymenis.

Tradunt Medici pro competimento virginitatis, quod primus concubitus cum femina fiet asper et durus ob fractionem Hymenis, quod est cuticula paruula intercludens ingressum et matricem vulvae, ad quod etiam Moses videtur respexisse *Deut. XXII. vers. 13.* cum seq. in cuius loci expositione *Erasmus Marbach. comment. in pentateuch.* non abs re coniicit lintea primi concubitus praesentibus testibus a parentibus in locum securum reposita fuisse, ut ubi usus esset, filiarum pudicitiae indubitato testimonio essent *Alex. in l. item apud Labconem, §. si quis virgines,*

nes, ff. de iniur. Abbas in e. proposuisti de prob. Socin. iun. in consil. 102. in 2. part. Barbat. in d. c. proposuisti. Cotta in memor ab. in verb. Hacres suus, et statur assertioni mulieris contra delinquentem, quod fuerit virgo. Alex. in consil. 229. n. 2. vol. 6. et quod praesumatur grauida ab eo, qui ipsam cognouit. Alex. ibid Caesar. Ursilits in addit. ad afflicti decis. 236. n. 2. et 3. Ann. Reb. lib XIV. rer. iudic. c. 10. Georgius Scheld. in repetit. potiorum tradition. de indic. et Tortura rb. 26. morem ciuitatis Nolensis retert, probari virginitatem de praeterito per pannum sanguinolentum Afflicti. decis. 236. num. 3. Verum Ambrosius Paraeus regius ille Galliae Chirurgus tanquam fabulam et figmentum, quicquid veteres de Hymene cantarunt, reiiicit, cum ipse in tot virginum et puellarum anatomis nullum inueniret, sanguinisque profusionem in primo concubitu, et ex angustia et fractione tenuum venarum oriri, cum in adultis virginibus nullus dolor neque sanguinis effusio in primo concubitu aduertatur. Sed et summi p) Medici et Philosophi, etiam quidam Iuris Consulti prodidere, nullum esse Hymen, vt doctiss. Cuiac. et diligentissime omnium sententias expositis scripsit Alberic. Gentilis in lib. VII. De nuptiis.

CAP.

p) Medici) Hoc de medicis eorum temporum tantummodo dicendum, quibus anatomia non tanta, quam nostris, ceperat incrementa.

CAP. XXXI.

*Num ob absentiam Hymenis sponsus
sponsam repellere queat.*

*Iob. Cbryſostomus ait super Matth. c. IX. relat. 33. quaest. 1. c. Sicut crudelis et iniquus est, qui castam dimittit vxorem; sic fatuus est et iniustus, qui retinet meretricem: patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen vxoris, ibique gl. Et frustra quis petit sibi fidem seruari ab eo, cui ipse non seruat c. frustra, de R. I. in 6. quorsum enim tu castam tibi virginem postulas, quum tuum corpus luem contraxerit? aut cur dimidiam tui partem purgatam desideras, alteram autem partem pollutam retineas? pulcre et vere regie docet *Iacob. Scot. et Angl. Rex in Βασιλικῶ δώρῳ lib. II. ad filium suum Henricum. Si enim metuit Imp. Iustinianus, ob non solutam dotem, mulieren a viro forsitan repelli et distrāhi matrimonium, l. generaliter, fin. ff. ad Scium Vell. ibique Balb. l. fin. C. de sent. quae sine cert. quant. prof. et est ratio, quia ex dote tenetur vir onera matrimonii sustentare, vt in cap. salubriter, de usu, et l. si cum dotem §. fin autem ff. solut. mat. in c. per vestras, de donat. int. vir. et vxor. et ibi Abbas Bald. in l. in diuis. ff. eod. Platea in tr. restitutionis, n. 64. per l. si donatarius, ff. de condit ob caus. 30. q. 5 c. nullum sine dote, Gl. notab. in §. fin. in verb. onera, Aut. de non eligend. secundo nubentes, Ias. in §. fuerunt, n. 98. Inst. de act. Bald. reputans eam**

gl. singularem et mente tenendam, in *c. quem-amovum*, n. 8. *verj. vlt. scias. de iure iur. Vinc. Carocc. de patr. fil. dot. q. 20. Roer. decis. 22. n. 1. Bald. in l. vlt. C. ad Velleian. Bald. in l. vxor. n. 2. ff. de negot. gest. et Gail. obseruat. 87. lib. II. pract. obseru. num. 2. et obseru. 95. num. 16. lib. II. Hermannus Meyrer. de praeferent. credit. lib. II. t. 6. n. 8.*

Quanto magis ob interitum illum dotis internae castitatis videlicet et pudicitiae repellenda erit, ut enim dona animi interna praeferuntur donis externis, et *l. c. Pomponius in l. 1. ff. solut. matrim.* Dotium causa temper et ubique praecipua est, nam et publice interest, dotes mulieribus conferuari, cum dotatas esse feminas ad libolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem maxime sit necessarium, *dict. leg. fin. C. ad Sctum Velleian.* Castitas autem summa dos fiet virginis, utpote quae q) maior in sexu femineo requiritur quam masculino, *l. ff. qua illust. C. ad Sconfultum Orifitian. leg. oratione ac ritu nupt.*

CAP. XXXII.

Num virgo nupta mater esse volens ab impotente marito diuerfi queat?

Impotentia coeundi est vitium animi vel corporis, vel vtriusque, quo quis impeditur alii
car-

q) maior) Ex legibus autem naturae, philosophiaeque moralis aliter est iudicandum, nam virtus vno eodemque modo ab utroque sexu colenda est.

carnaliter commisceri secundum Ray. et sunt r) tres eius species, prima dicitur naturalis et frigiditas in viro, arctatio in muliere, et defectus ætatis in utroque vel altero. Altera est accidentalis, quæ provenit a causa extrinseca et accidentali ut castratio, et tertia est s) maleficialis, quæ a daemonibus provenit. Circa frigiditatem et arctationem ad hoc, ut impediatur matrimonium contrahendum, et dirimat contractum, requiritur, primo, quod præcesserit tale impedimentum matrimonium, quod si aduenerit post contractum, non dirimeret, licet esset rationabilis causa dispensationis fiendæ per Papam, vel alter aptus contrahere cum alio, si nondum erat matrimonium consummatum, *ut nou. Paul. in c. ex part. et in c. ex pup de conuers. coniug.* Idem dicitur de impotentia accidentali, secund. eundem Paul. *c. qui sedem. et c. consultatione de frig. et malef.* Secundo requiritur, quod si tantis, quod nullo modo possit coire, hoc est: secundum *Petr. de Palude*, quod sit talis, quod impediatur actum, perpetuo saltem, quia licet impediret effectum generationis, sed non actum, qui est emissio seminis in vase, non esset impedimentum. Tertio quod sit perpetuum impedimentum.

M 5

mea-

- r) tres) Plures adhuc species adferri possunt, de quibus conferri possunt, qui de causis sterilitatis utriusque sexus scripsere v. c. *Ill. Cho. Gt. Grunerus.*
- s) maleficialem) Nostra non agnoscunt tempora, quæ superstitioni huic ultimum dixere vale.

mentum, ita quod nullo medicamine aut remedio possit remoueri, quia si posset sine periculo mortis remoueri, non dirimeret hoc, *non. in c. 1. et 2. 33 quaest. 1. c. et 2. de frigid.* quia, quando non potest iuari, impedit vt, notat *Ricardus n. 4. distinct. 34.* et eadem ratione de nimia caliditate, quae coitum impediret, secundum *S. Thom. ead. distinct.* Quarto, quod sit ignorans, quando contrahit, de tali impotentia, quia secundum *Petr. de Palude*, qui scit se vel alium impotentem, et eum accepit, non potest amplius eum dimittere, quoad vinculum, quod est verum matrimonium, vt. *in d. c. consultationi de frigid.* Et haec quatuor etiam requiruntur in impedimento accidentali, vt dirimatur. Circa vero impedimentum naturale vel accidentale est sciend. secundum *Pa. in c. 1. de frigid. et mal.* quod quando non potest per aspectum probari, semper debet ad minus habitare per triennium, antequam matrimonium dissoluatur, vt *in c. fin. eod.* Secus in impedimento, quod potest per aspectum probari, vt *in c. fraternitatis, de eo qui cognou. consang. vxor.* vel per iuramentum proprium cum septima manu propinquorum, vt *in c. laudabilem eod. tit.* quia statim potest dirimi. Circa vero maleficiatos aduertendum quod aliquando quis est maleficiatus respectu omnium, et sic contrahere potest, et si contrahit post primum matrimonium contractum et coniungitur cum secunda, redire tenetur ad primum, quia patet, quod impedimentum non erat perpetuum, et ideo primum matrimonium

fuit

fuit firmum. Si autem sit maleficiatus respectu
 vnius personae, sic non restitueretur, quamuis
 cognoscat secundam, quia primum matrimonium
 fuit nullum et secundum, fuit validum. *Angelus
 Clauasius in summa, in verbo matrimonium 3.
 impedimento 16. §. 1. 2. 10 et 12.*

C A P. XXXIII.

*Num virgo ita arcta, vt mulier fieri non possit,
 matrimonium contrahere queat.*

Inueniri puellas velatas et attritas, quas
 vocant, quae ita clausae sunt in pudendi sinu et
 ore vreri, vt nec consuetudinem viri ferant, nec
 assuant menstrua, constet. Et non perforata um
 meminit *Aristoteles in IV. de generat. animal.
 c. 4.* et dicit Pontifex in *c. 3. de frigid. et maief.*
 quod si vitium illud mulier a natura contraxit,
 nec ope medicorum poterit iuari, viro aliam
 accipiendi tribuat facultatem. Item *c. 4. d. tit.*
 resp. Pontifex quod licet incredibile videatur,
 quod aliquis cum talibus contrahat matrimo-
 nium Romana tamen Ecclesia consuevit in con-
 similibus iudicare, vt quas tanquam vxores ha-
 bere non possant, habeant vt sorores, iuxta Au-
 gustini dictum? Si non possit cohabitare, vt con-
 iux, cohabitare vt frater, vel soror. Sed quid
 ius ciuile Romanum de talibus? *Iuris Consultus
 Ulpian. in leg. quaeritur 15. §. mulierem, ff. de
 aedil. edict.* ita arctam, vt mulier fieri non possit,
 sanam non videri constat. Maritus ergo qui vult
 esse

esse pater liberorum, licite diuortium ab ea petere potest. Fautor enim *t*) liberorum maximus erat apud Romanos, §. *si enim tres liberos, §. filii autem superstites, Instit. de excusat. tut. vel curat.* et dabatur priuilegium illis, qui sobole ciuium numerum multiplicabant. Augustus Cæsar in Oratione ad maritos. Item, ad Caelibes apud *Dion. Cassium Nicaeum, lib. LV.* tum maximum et præcipuum munus ac officium mulierum est accipere, et tueri conceptum, *d. l. quaeritur, in pr.*

C A P. XXXIV.

Vtrum mulier propter arctitudinem separata a primo viro et coniuncta secundo, quando efficitur habilis primo, propter usum secundi, sit restituenda primo.

Resp. Pa. in c. fraternitatis, de eo qui cognouit conf. vxor. suae quod si non poterat coniungi. Primo viro antea sine periculo mortis, per aliquod remedium, quod non restituitur, sed stabit cum secundo, quia cum primo non fuit matrimonium: vt tenet *Abbas et Petrus, et sequitur Iob, Andr. in d. c. fraternitatis in fin.* quod verum limita, quando aperte apparet de dissimilitudine membrorum amborum, alias esset restituenda, quia videtur Ecclesia decepta. Et sic concordant Doct.

CAP.

t) liberorum) Hanc ob causam nonnulli fuissent matrimonia ad certum tempus, quod si absque prole sit, dissoluendum et ad secunda transeundum vota.

CAP. XXXV.

*Num ab incubo infestata virgo amittat
virginitatem.*

Plurimi trahunt ortum gigantum ad Dæmonum concubitus, quod testatur et *Bonauentura in 4. sentent. dist. 44.* Is cum negasset monstra resurrectura esse, ob id quod in iis non naturæ veritas, sed error potius sit? hæc addidit: Si sunt magnitudine gigantes in via, in patria non erunt. Si verò quaeras, vnde habuerint ortum, dicendum, quod, sicut narrat Iosephus, Dæmones incubi assumtis corporibus generent, et Dæmon ostendit mulieri, cum qua concubuit, *) figuram talem hominis maximi, et ideo tum propter feminis multiplicationem, tum propter virtutem animalem generatus fuit homo miræ magnitudinis, et ille postmodum alios generauit. Verum plerique negant medias illas potestates esse, quas Plato in *Symposio* statuit, hinc et *Theodorus Byzantius* et nonnulli alii Philosophi senserunt, simulacra et nocturnas appariciones sapientibus nunquam apparuisse, sed pueris, mulierculis vecordibus atque aegrotis, qui per imbecillitatem animi aut corporis assidua formidine quatiuntur, et inanes, vanas atque ab omni veritate alienas opiniones amentia quadam ducti sibi persuadent. Vnde et *Remigius in Dæmo-*

*) *figuram*) Hæc sententia opinioni innititur phantasiae grauidarum ope varias formas, naeuos maternos aliaque in foetu produci posse.

Daemonolatria sua spirituum negat cum mulieribus v) *commiſſionem*, Quid enim corporis expers cum corporeo agere poteſt? aut con- ceſſo, quod ad tempus aſſumant corpora; ea aut e nubibus et terrae vaporibus erunt compoſita, aut mortuorum hominum cilauera induta, ſed quid illa corpora, cum ſimile procreet ſimile, aſſumta, omnique calore penitus deſtituta ad pro- creandum idonea erunt? Etiamſi ſemen aliunde auferatur, vt contendunt quidam Magiae ſcri- ptores, illud tamen, quam primum vaſe egredi- tur debito, frigidum redditur, et ad omnem generationem inhabile, ideoque poſtutio illa et titillatio nocturna, quam ſentiunt virgines, ex prauis cogitationibus diurnis ſummo appetitu, maximoque pruritu, feminis que copia abundante oritur et contingit. Spiritus enim, cui neque caro, neque ſanguis, neque membra famulantia generationi conceſſa ſunt, quo modo coire deſi- deraret? qui cibo non reficitur, vnde cibi ſuper- fluitate ſemen, vnde pruriturum libidinis haberet? immortalis an ſucceſſorem cuperet? Incorporeus num in complexum corporis venire poſſit? Et ſi generaret, nonne ſibi ſimilem potius ſpiritum, quam corpoream ſubſtantiam produceret; quo dato iam dudum omnia daemonum pleniſſima forent? Et quamuis multae ſagae congreſſum Satanicum expertae ac peperiffe dicantur. Reſp. melancholicas ac pituitoſas mulieres ſaepeius
recu-

x) *Commiſſionem*) Et quidem recte haec negatur, cum omni prorsus deſtituta ſit fundamento.

recubantes y) incubo vexari, praestigiisque Veneris deludi posse, sine tamen femine masculo concipere, foetumque corporeum excludere non admittend. centet *Tandlerus in orat. de fascino et incan. q. An Lamiae Venerem exerceant, p. vibi 18. et 19.* si quando igitur Lamiae peperisse visae sunt, partum vel imaginarium fuisse, vel supposititium credibile est, *Laurentius Ananias tamen in libr. de natura daemonum* contrarium huic plane statuit, plerosque namque heroes deperditosque homines ex tali concubitu ortos esse scribit, Neronem ex angue conceptum, Merlinum illum vatem Anglum ex incubo procreatum, adstipulatur huic. *Strozius Cicogna in Theatro vniuers. natur. seu magia omnifaria lib. III. cap. 3. allegans Scot. in 2. sent. d. 7. q. 1. August. lib. XV. de ciuit. Dei c. 23. et lib. 1. q. sup. Gen. 43.* cuius verba sunt: Fama, inquit, vulgatum est, et a multis approbatum atque etiam acceptum ab iis, de quorum fide dubitari non debet, Faunos et animalia quaedam syluestria a vulgo Incubi dicta, mulieribus ita molestos fuisse, vt concumbere cum ipsis luxuriamque explere cupierint, recenset ex Henrico Institore et Iacobo Sprengero exemplum, de monacha diu ab incubo tentata. Ex incubis vel succubis geniti videntur, quos Mahometani Noffoglios vocant, et e Spiritu sancto natos impie credunt.

y) *Incubo*) Quid sit incubus recentioribus temporibus certo scimus, videlicet ex sanguinis vehementiori versus cor actione oritur.

dunt. Saxo Grammaticus et alii scriptores affirmant Gothorum reges e matre nobili et spiritu incubo vili formam gerente ortum habuisse, Iohann de Barros auctor est, Pegusianos et Seranitas Indiae populos a mulieribus daemonum concubitu impraegnatis originem traxisse. Incubos generare *Beda* in historiis Britonum et multae aliae scripturae testantur. Qua autem 2) ratione hoc fieri possit non videtur, nisi hac sola, quod virile semen effusum mox in vas muliebri cum debita temperantiae qualitate transfundant. Sed sic proprie generare incubum non dicendum, infinitas tamen rationes latere humanis ingeniis in rerum secreto naturae plenissime confitendum, et paucissimo respectue hominum sensibus apparere. Et incubos Daemones oppressisse feminas quasdam, alias Venereis confabulationibus ad concubitus illexisse, in veneficiis vtriusque sexus in parte Orientali Flandriae atque Brabantiae per iudices seculares deprehentum est, et scelus illud extremo supplicio punitum: confessique sunt occasione huiusmodi peruersissimae voluptatis se ad veneficii crimen protractos et quamuis essent coniugati, quod tamen relicto toro legitimo, alter succubo altera incubo multo tempore sceleratissime permixti fuerint. Similia scribunt in Germania contigisse ante annos centum *Iacobus Sprengerus et Henricus Institor in malleo malef. part. 1. q. 1. cap. 4. et Innocent. VIII. in epistola*

2) *Ratione*) Haec ratio principiis physicis et medicis aduersa utique repudianda est.

epistola decretali aduersus maleficos. extat in 7. Decretal. De incuborum generatione late agit Petrus Boylseau in libro Gallice edito, de historiis prodigiosis, vbi multis in vtramque partem citatis auctoribus et exemplis docet eos nullo modo generare posse, quia generari nequit homo nisi ex humano semine. Verum haec ratio nulla est, nam si generare posse dicamus incubum, non id fiet ex proprio semine, quo caret, sed humano aliunde a) petito, ideoque nec filius daemonis erit, qui ex huiusmodi nascetur concubitu, sed illius hominis, cuius est semen. Eos itaque generare posse plerique omnes confitentur, ut Thomas in 2. d. 8. art. et in summa p. 1. q. 51. art. 3. Durandus ibid. q. 2. Iacob. Sprenger. loco citato Goscaltus Hollen. serm. vlt. in 6. praecept. Decalogi, Syluest. verb. matrimonium 8. n. 15. §. 2. Francisc. Valesius in lib. de sacra Philos. cap. 8. vbi putat cum Iosepho eorum opera gigantes illos, de quibus in Gen. c. VI. genitos esse, et plures alii, quos citat Benedictus Pererius lib. VIII. commentar. in Genesim. disput. 3. sed ipse nihil determinat.

C A P. XXXVI.

Legatum puellae minori ut intelligatur?

Intelligitur, cum erit viripotens, non enim dicitur nupta, quae virum pati non potest l. quod puellae

a) petito) Neque haec causa facis firmo nititur talo.

puellae ff. quanda dies, legat. ced. et si ante aetatem nubilem decedat puella, non transmittit, si conditio sit adiecta substantiae legati, secus si praestationi, Bal. in. si cui legatur §. ff. de leg. 1. illustriss. Mantua, de coniect. vlt. vol. lib. XII. tit. 21. n. 27. Actius de minor. in delict. excus. q. 21. num. 3. et 4.

CAP. XXXVII.

De donatione virginum.

Donationem ex pluribus reddi inuvalidam ob doli suspicionem scripsit *Augustinus Beroius conf. 59.* licet de simplici per tot. vol. 1. interdum ratione personae, vt quando formosa adolescens pulcro iuueni donat, subest enim doli suspicio re ipsa ex timore inhonestatis, *Beroius loc. cit. n. 13. per textu, in leg. si. in fin. cum gl. ff. de A. et O. et ibi Alex. in Apofit ad Bartolum et Paulus de Castro in l. post contractum ff. de abnat.* licet facta a iuvene formoso pulchrae adolescenti valeat, etiamsi subsit aliqua suspicio inhonestatis *Beroius dict. n. 13. per. text. in l. affectionis ff. de donat.* quo casu vbi Donatio nulla est ex suspicione inhonestatis, quae damnata a iure saperet turpitudinem, forte non male diceret, qui vellet donationem nullam quidem esse, quoad donantem et donatarium, donata tamen pertinere ad fiscum et ab adolescente donante tanquam ab indigna auferenda per ea, quae de clerico donante concubinae, vt appli-
cen-

centur fisco, dicit *Capra cons. 127. Quidam Rodonellus Viuius in commun. opin. 205 Donatio facta concubinae num. 5. vers. limitatur, et Bard. in l. mulierem, ff. de his quibus ut indign. Et ita tandem fuisse iudicatum in supremo tenatu regni Lusitan. quamuis sibi visa fuerit dura decisio, testatur *Anton. a Gama in dec 58. in proces. caus. in fin.* se certe non adeo demiratus fuisse Gama hanc opin. si *Grat. Viuium, Bartol. locis citatis vidisset secundum Ripam in tr. de Nocturno tempore cap. 105. de donat. num. 1. 2. 3. 4.**

C A P. XXXVIII.

Num virgo sine tutore donare possit?

Cum mulierum genus b) auarissimum sit, *gl. in §. quoniam infimus in verb. Maxime, aut. de nupt. Bartol. cons. 127. part. 1. Tiraquel. de retract. conuent. in praefat. num. 35. vers. super eo tamen. post Barbat, cons 8. illud afferam, col. 5. vers. modo in proposito lib. II. Ripa de nocturn. tem. cap. 10. num. 15. adeo ut pro miraculo habeatur eius donatio. de iure civili definitum est, donare ipsam non posse, l. filiumfam. in. pr. ff. de donat. De iure vero Saxonico virgines et viduae sine tutore donare possunt *text. est in artic. 45. Landrecht*, ideo errant, qui illarum do-*

N 2

natio-

b) auarissimum) Non in vniuersum hoc affirmari potest, cum quamplurimae sese munificencia quam maxime commendent. Omnis igitur ablit calumnia,

nationes infringere volunt, propterea quod sine tutorum autoritate donauerint, sunt enim validae et firmae, dum modo eius aetatis sint, ut tutorem habere non teneantur, et, tutoris non interfit, ex quo sequitur, quod virgines absque consensu tutorum contrahere possint. Landrecht. d. ar. 45. Schneidew. Inst. de donat. inter vivos, §. aliae num. 35. etc.

C A P. XXXIX.

Num, si virgo persuadet iuueni, se esse diuitem, et ita inducat illum ad promittendum matrimonium, subueniatur iuueni, si contrarium comper- tum sit?

Decidit *Ioh. de Imola in cap. cum dilectus, extr. quod met. caus.* Quod non: sicut nec error fortunae facit, ut matrimonium dirimatur, ut est *text. in c. 1. 29. q. 1. adde Ius. in l. pacta nouissima C. de pact. et Alb. in c. cum dilecti, de emt, in d. c. cum dilectus, ubi post Innoc. praed. limitat, nisi esset tantus et insignis dolus, qui remoueret consensum, et prudentissimum quemque falleret, isto casu subueniretur decepto, nisi postea per voluntariam ratihabitionem iste dolus esset purgatus *argument. c. de illis, desponsat. impub. Neuizan. in sylua nupt. lib. II. n. 58.**

C A P. XL.

Num virgo possit esse legata?

Quum Romani, ut videre est apud Liuium lib. II. saepius et dederint et acceperint obsides puellas

puellas virgines, siue praetextatas, nunquam vero mulieres corruptas, hic de virgine legata agendum duxi, *Goeddaeus in comment. ad l. mulieris 13. ff. de V. S. n. 11.* hoc axioma tradit: prohibitiones legales interpretationes, et alia iura ad mulieres pertinentia, comprehendunt etiam virgines viripotentes, nisi subiectum vel circumstantiae qualitatis aliud suadeant, ideoque cum intercedere postulare, procuratorio munere fungi, iudicare, magistratum gerere mulieres probibeantur, *l. II. ff. de R. Iur.* intelliguntur etiam virgines viripotentes prohibitae, per *d. l. mulieris fac. c. vnic. §. quin etiam Episc. Abb. c. 1. in pr. et fin. de suc. feud. c. 1. §. ad filius de succ. frat. de V. sib. feud.* Et *Vlp.* proficisci procos melius sine vxore existimat, *in l. IV. de offic. proc.* multo minus igitur mulierem solam proficisci aut legati munere fungi permittet. Ratio perquam lepida est apud *Kirchner.* in legato, cum natura illas partes, quae ad sessionem sunt destinatae, latiores in feminis fecerit, quam in viris, innuens domi eas manere debere. Et *in d. l. II. ff. de R. J.* vbi feminae ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remouent, interpr. nullam rationem addunt, nisi quod moribus ita receptum sit Rom. non attenda consuetudine alias nationes assignari posse ego duco. In iudice siquidem vt et in legato requiritur animi grauitas, auctoritas et constantia, cuius animi motum vultus non detegat, *l. obseruand. ff. d. l. quae in feminis desunt, et si adsunt, scurrilitas potius*

et inanis audacia censetur, quam grauitas, secretum si quid agendum fiet, taciturnitas rarum, rarissimum imo in femina donum est. Nec refert, quod Dd. hanc regulam fallere aiunt in dignitatibus hereditariis, exemplo Regina Siciliae *Iobanna*, quam in regio solio sedentem et sententiam dicentem vidisse refert *Angelus*: Exemplo *Elisabetha* Anglica, quae per multos annos feliciter regnauit, Resp. quia *d. l.* non loquitur de talibus dignitatibus haereditariis sed de ciuilibus et publicis officiis constitutae bene reipublicae, Virginem igitur Legati munere fung: haud posse concludo, non enim possunt esse virgines de consilio, quia sunt molles, imbecilles et leues, *Bened. in rept. c. Raynucius fol. 14. de testam.* et missio *Veturiae* matris *Coriolani* apud *Liuium* non fuit proprie legatio, sed deprecatio.

C A P. XLI.

— *An virgo possit esse miles armatus?*

Primo intuitu videtur dicendum: Quod non, quia non potest esse miles regatus, per *l. II ff. de reg. iur.* inhibitum siquidem est feminis munus *Notariorum*, *Præcuratorum* proque aliis intercedere, et ratio quidem prohibendi, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, ne virilibus officiis fungantur mulieres. Origo vero introducta est a *Carfania*, improbißima femina, quae inuercunde postulans, et magistratum inquietans causam dedit edicto, *l. 1. §. 5. ff. de populari*, iam de mili-

te terrestri ad Aduocatum, quem militem togatum interpretes iur. ciuil. denominant, argumentum ducitur per doct. glos. quae existimatur singularis in iure *in leg. miles de re iud.* quae scribit, Patronum causae atque Aduocatum habere idem priuilegium, quod miles armatus, et ratio est in promptu et colligitur ex constitutione *Imp. in l. aduoc. C. de adu. diuers. iud.* qua cauetur, Aduocatos aequiparari militibus et militare, cum per eos tanquam per milites vita et patrimonium hominum defendantur, et derisorium esse a femina quaerere de militia, dicit *Angelica Summa* in verb. interrogationes in confessione, §. 2. *Sylua nupt. Neuiz. lib. 1. n. 29.* Inueni tamen ego textum *in libello amissi 18. ff. de excus. tut.* ibi, eos solos, qui in acie amittuntur, prodesse debere *Cuiuscunque sexus vel aetatis sint*, quem textum non legi ab alio esse obseruatum: ex quo colligo, virginem militem c) agere posse, sicque etiam ex consequenti priuilegiis gaudere militaribus, utpote quae militibus nullo habito respectu ad sexum concessa sunt. Exempla (quamuis iis iudicand. non sit, *l. nemo iudex C. de sentent. Glos. Inst. de iur. nat. gent. et ciu. §. ex non scripto*, bonum tamen est, ut inquit Seneca, interpretari praeceptum breue et efficax per exempla, et res magis clarior fit et manifesta exemplis *l. prope, §. quoties de col-*

N 4

lat.

c) militem agere) Et ne hoc quidem fieri posse, ex eo apparet, quia virili animo destitutae minus idoneae ad militiam censentur.

lat. bonor. §. haftenus, Inst de gradibus, et exemplis viuitur, Nouell. 22. cap. 21. in fin) sunt antiquae illae Amazones, de quibus multi meminere et apud Graecos et apud Latinos, non Poetae solum, qui fabulosa tractant, verum etiam historici, quos a vero recedere turpissimum est. *Troius Pompeius, Diodorus, Ephorus, Strabo, Aeneas Syluius de secunda Asiae part. cap. 20.* Camilla regina Volscorum apud Virgilium: meminit et Virg. Penthesiliae Amazonum reginae lib. Aeneid.

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis,
Penthesilea furens mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertae cingulae mammae
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.*

Fuerunt et in expeditione illa suscepta ab Alemannis Conradi Caesaris auspiciis in Palaestinam virorum comites feminae d) quaedam ingentis animi, quae armatae insidentes equis Amazonum speciem praebabant, vt refert Glycas anal. *Io-bonna illa virgo Lotbaringica* vulgo dicta *Pucella D' Orleans*, quae inspiratione diuina arma bellica assumens, anno Domini 1430. restaurauit regnum Franciae, Anglicos a regno expellendo vi armata, et regem Carolum ad suum regnum Franciae restituendo, quae puella regnauit tribus vel quatuor annis, quam vidisse D. Guido Papae affirmat q. 84. n. 2. et Aurelius in ponte statuam

d) feminae) Haec vt et Amazones vtique a regula vulgari excipiendae sunt.

tuam meruit quam ipsemet vidi. Testantur de ea historia et iudicia sub titulo *Sibylla Francica* tandem forte in manus hostium peruenit, qui fortitudinem eius diuinam magicis artibus attribuentes atrocissimo crudelitatis exemplo eam concremarunt. Sed e rescripto Calixti Pontif. causae cognitores constituti Iohannes Archiepiscopus Rhenensis et Wilhelm Parisiensis innumeros testes omni exceptioni maiores, super eius innocentia, modestia, castitate et religione examinarunt, eamque innocentissimam comperierunt ac pronunciarunt, actaque adhuc seruantur in scrinio Parisiensis Ecclesiae, quod Papirius Massonus testatur. Plura de ea egi in opere de miraculis mortuorum, quo beniuolum selego Lectorem. Exemplum mirabile, quo ad militiam armatam et togatam fuit Regina illa Anglica, quae nostra aetate iam post longam regni sui administrationem in viuis desit esse. Nec refert imbecillitas animi, quae maxime viget in sexu femineo, ob idque vocabulum *Sexus*, non ita intelligendum fore, sed explicari per *voculam*, vel aetatem arg. *d. leg. 2. de R. I.* Respondeo: Summam quandoque audaciam in femineo reperiri sexu, vt praedicta exempla satis declarant. Et Ennius inquit: Vos animum geritis muliebrem, illa virago viri, etc. deinde, bene quidem alternatiua illa *vel* resoluitur in copulam, quando ponitur inter genus et speciem, vel inter totum et partem, vt tradit *Lanfrancus de O. iano inc. quoquam super falsam de probat.*

n. 17. text. in l. saepe. vers. et cum dicimus de V. S. et in l. Quintus, in fin. ff. de aur. et argent. leg. Verum hic plane inter diuersa ponitur. Notum est enim, quid sexus in homine sit, quidque aetas, leg. Hermaphroditus. ff. de stat. homin. Contrarium tenet, quod videlicet feminae non conueniat militare, Alciat. in cons. 10. et Mart. de afflict. in 2. de Vasall. milit. qui arma bell. depos. Verum textus ille loquitur de milite vasallo argumento Rubricae, de quo contentio nostra non fuit.

CAP. XLII.

Ad quid teneatur, qui insectatur virginem?

Resp. Franc. de platea in tract. restit. n. 4. quod insectans virginem et post eam vadens, quocumque vadat, teneatur ei iniuriarum, quia propter assiduam eius frequentiam et insectationem infert virgini multam infamiam, §. iniuria. Inst. de iniur. et est text. in l. apud Labeonem, §. appellare. et §. aliud ff. de iniur. secus si non frequenter insectetur, sed aliquando gratia solatii et ludi honesti: Et hoc verum, quando interpellat de luxuria virginem honestam, secus si veste meretricali esset induta, quia tunc eam appellans et insectans non tenetur iniuriarum, d. l. item apud Labeon. §. si quis virginem, ff. de iniur.

CAP. XLIII.

Virginem deflorans, qua poena puniatur?

De Iure Ciuili poenam lex Iulia de adult. arrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum, si humiles, corporis coercitationem cum relegatione, §. *item l. Iul. Inst. de publ. iudic.* licet, vt inquit, *Iul. Car. §. siuprum non seruetur.* De iure Canonico clericus propter stuprum cum virgine commissum punitur poena depositionis, et est commun. opin. vt dicit. *Grilland. de diuers. crim. lib. III. q. 7. post num. 2.* Laicus autem committens stuprum cum virgine tenetur eam dotare et in vxorem accipere, si ipsa et pater consenserint, vbi vero non consenserint, solummodo dotem soluere tenetur, si vero stuprator reuerit, tunc prius verberibus tractatus in monasterium detruditur poenitentiam acturus, *c. 1. et 2. de adult.* Lex diuina præcipit, vt corrupta virgo dotetur et in matrimonio habeatur, *Deut. LIII.* Verum copulatiua illa ob rationes, quas adfert *Wesfenbec. in Pandect. ff. ad tit. ad leg. Iuliam, de adult. vum 21.* in alternatiuam resoluta est. Aut ducatur violata aut pro eius conditione dotetur, *c. 1. vbi Dd. Extr eod.* quod ad eam quantitatem redigi solet, quam dedisset in dotem verisimiliter corruptæ pater. Id sequitur *Papo lib. XXII. tit. 9. Aresto 9.* cetera in facti contingencia consuluit *Chass. cons. 40.* et hoc idem etiam seruatur in Hispania, vt attestatur *Anton.*

*Anton. Gomes. sup. l. 80. Tauri, num. 7.
in fin.*

CAP. XLIV.

Qua poena puniatur stuprans virginem per vim?

Capite punitur, §. *sin autem per vim*, *Instit. de public. iud. Dd. ibid. las in §. omnes autem num 24. Instit. de action. leg 3. §. praeterea, ff. de vi publ. l. mariti 9. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* De vi publica punitur, cuius poena est deportatio, quae successit in locum eius, qua aqua et igni reo interdicebatur, *l. qui dolo 10. in fin. ubi gl. ff. ad l. Iul. de vi pub. §. item lex Iulia. Instit. de publ. iudic. l. si quis viduam, ff. de quaest.* hic addendum ad conceptionem non requiri voluptatem seu semen mulieris, quod etiam Phyci tenent, secundum *Bartachin. in Receptor. lit. S. verb. Scuprum n. 6.*

CAP. XLV.

Qua sit poena puniendus ille, qui defloravit, seu deflorare conatus est puellam nondum viripotentem?

In hoc dubio variant Dd. *Antonius Gomezius ex cap. 1. de adult.* infert, quod si aliquis maior et pubes stuprauit et cognouit per vim aliquam virginem immaturam, minorem, et impuberem, tenetur poena ordinaria delicti, modo ipsa puella sit viripotens, et possit corrumpi. Si vero masculus sit minor et impubes, non tenetur, licet

licet si viripotens et malitia suppleat aetatem ex Saliceto *leg. impunit. Cod. eod. de poen.* Raro tamen contingit ante duodécimum annum aetatis. Vnde *gl. in sum. 2. 1.* meminit pueri, qui cum esset nouem annorum, nutricem impraegnavit et autoritate, *D Gregorii libro IV. dialog. cap. 10. D. Hieronym. testatur in epistola ad Vital.* presbyterum se audiuisse, quendam puerum fecisse grauidam nutricem, vbi subdit Salomonem in 10. anno genuisse Roboam, Achaz in 11. anno procreasse Ezechiam *Coelius Rhodig. lib. VIII. antiq. lect. cap. 8. Igneus l. 1. §. impubes num. 9. ff. ad Syllan. Vincentius Carocius de minor. excus. quae. 20. num. 6. 7. Ripa de nocturno tempore cap. 23. Iulius Clarus lib. V. sentent. §. stuprum num. 9.* distinguit inter humiliores et honestiores, illos in metallum damnari, nos vero in insulam relegari, vt est *textus expressus in l. si quis aliquid 28. §. qui nondum viripotentes ff. de poen.* et secundum hanc opinionem consuluit *Signo. cons. 107.* in fine tamen dicit, se semper fuisse in voto, quod vbi solum esset conatus ad deflorandum non puniretur poena mortis, sed alia citra mortem graui, puta trirremium perpetuo vel ad decennium, vbi vero frangeret pudenda, nullo modo euadere deberet poenam vltimi supplicii. Bald. indistincte dicit esse decapitandum in *l. si quis non dic vlt. colum. in vers. ex hoc concluditur. C. de Episc. et Cler. et per Iohan. Andr. in cap. 1. de desponsat. impub. Iob. Fab. in §. item lex Iulia. Inst. de pub. iudic.*

Gabriel.

Gabriel. Sara in addit. ad Matthes. sing 99. n. 5.
Aemilius Maria Manoleffus in addit. ad repertor.
Bertachini in verb. stuprum, n. 8.

CAP. XLVI.

Qua poena puniatur raptor virginis?

Imp. Iustinianus in l. viis. c. de rapt. virgin.
 raptores pessima criminum peccantes, capitis
 supplicio plectendos decernit, etiamsi quis sal-
 tem ipsam suam per vim rapere ausus fuerit,
 nominatque crimen detestabile, nec homicidii
 crimini dissimile, ut nulla raptor fori praeci-
 ptione gaudeat, nullamque appellandi licentiam
 habeat, ut nec raptor eam legitime sibi coniun-
 gere possit, nec sit facultas raptae virgini vel
 viduae, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi
 maritum exposcere, quoniam nullo modo, nul-
 loque tempore datur a Caes. Serenitate licentia
 eis consentire, qui hostili more in republica
 matrimonium studeant sibi coniungere, nec pater
 raptum filiae raptori remittere potest, *Nou. 123.*
c. 1. Nou. 150. §. item lex Iulia, vers. fin. autem
per vim, Inst. de pub. iudic. sed de iure Cano-
 nico potest raptor raptam ducere in uxorem *Ia-*
cobus Butrig. ad dict. leg. 1. Cod. de rap. virg.
per gloss. in c. 2. de haeret. in 6. gloss. 20. dist.
de libell. per. c. tua 36. quae. 2. de puellis. Iohan.
Cald. in consi. et in cap. fin. de raptor. et in Spec.
de dispensat. §. Nunc de dispensatione Episcopi
vers. 29. alias 28. Caue tamen, inquit, *Berta-*
chin in repertor. verbo raptor, n. 10. quod loqui-
 tur

tur in alia Materia, quod nota pro amico liberando a poena, et *Salic. post gl. in d. l. 1.* sed perdit bona, licet matrimonium teneat, *Salic. ibi, c. pen. c. fin. de raptor. Hippol. Marsil. in l. 1. n. 228. C. de rap. virg.* quo in loco concludit, multisque exemplis comprobatur in hoc ius Pontif. civili anteferendum, *Aemilius Maria Manoleffus in addit. ad repertor. Bertach. dist. loc. Vincent. Caroc. de minor. in delict. excus. q. 35.* et D. Hieron. se opposuit concilio determinanti, quod rapta non posset raptori coniungi, ostendens hoc sacris litteris repugnare *Exod. XXII. et Deut. XXII.* propter quod concilium reuocauit sententiam, ut testatur *gl. in c. de libellis d. 20. etc. elicitur 36. q. 2. tria. c. si autem, etc. c. si placuit. Pa. in d. c. cum causa de rap. tenet,* quod si praecessit tractatus determinatus de matrimonio et ob hanc causam abducit, non committitur poena de iure Canonico. Si vero praedictus tractatus non praecessit, etiamsi puella fuit voluntaria, committitur poena *27. q. ult. lex illa ar. 36. q. 1. §. ex hoc,* et obligatur ad restitutionem non solum subtrahi, sed etiam lucri, quod habuisset ille, sub cuius potestate erat, secundum Dominum *Iohan. de Platea Instit. de action. quae ex delict. nasc. §. interdum,*

C A P. XLVII.

An transactio super raptu fieri possit?

Est quidem *l. pen. si quis seruus, C. pro quib. caus. serui libert. accip. ibi.* (Aut pacione trans-

trans-

transmissum) ex qua super raptu videtur permiffa transactio, eaque sententia est Iohannis Antiqui gloss. et est etiam textus pro hac opinione in *l. qui coetu. §. qui vacantem, ff. ad l. Iul. de vi Publica ibi.* (Etsi pater iniuriam suam precibus exoratus remiserit.) Haec tamen sententia Iohannis communiter reprobatum a Dd. et probabilem horum esse opinionem contra Iohannem affirmat *Alciat. num. 24. quam* disputando sustineri posse putat *Iason. num. 14. quam etiam Montalius probavit in l. partit. col. 2. vers. item nota, solum Baldum allegans.* Horum aduersus Iohannem duae sunt rationes. Prior illa est, quod grauius sit crimen Raptus adulterio, *d. l. 1. C. de rapt. virg.* Cum igitur in adulterio, non sit licita transactio, neque in raptu, qui grauior illo est, licere debet, vulg. *l. nec in ea ff. de adult. vers. sed qui. occidere.* Posterior ratio ab illis sumitur ex text. in *d. l. vnic. vers. poenas, in fin. C. de rapt. virg* vbi parentes, qui transigunt super raptu filiae, deportatione plectuntur, sed si ex *l. transigere, C. de transact.* dispositione legitime transigerent, minime punirentur, vulg. *l. Grachus, C. ad l. Iul. de adult.* Sunt tamen plures, quibus Iohannis opinio relata in *gl placuit*, magis existimantes licere, super raptu transigere, hanc enim opinionem secuti sunt *Oldrad. et Franc Accursius, quos retulit Albert. n. 19. qui n. 20. affirmat, se credere Iohannis opinionem esse veriore eam sequutus, quam Bartol. etiam tenet num. 11. Angelus n. 4. et 8. Fulg.*

Fulg. num. 3. Salicetus num. 8. Alex. num. 12. qui affirmant, hanc esse veritatem, et esse hanc opinionem communem, affirmat *Ias. num. 13. Rimin. col. 6.* communemque esse testatur *Curt. Senior num. 33. Purpur. num. 67.* eam sequuti, licet *Purpur.* articulum hunc disputabilem esse pro utraque parte affirmet, communem esse hanc opinionem praeterea testantur *Alc. n. 23. Curt. Jun. n. 35. Claud. n. 21.* eam sequuti testantur *Gregor. in l. regni. gl. de adult. Diegas Villalpando ib. gl. 17. n. 6.* tenet etiam hanc opinionem in *d. l. qui coetu, §. qui vacantem, etc. n. 1. Baldus in d. l. pen. C. pro quibus caus. seruit.* et hanc opinionem, quod ex Cyno constat, tenuit. *Petr. de beila Pertica,* et referunt eam nonnulli ex recentioribus *Iac. Butrig.* et praeter superiores testantur eam esse communem *Aymon. Cravetta de antiq. tempor. folio paruo, num. 133. num. 24. Boerius decisione 91.* Quorum esse rationes sunt praeter illa duo iura, quae iam allegavi, quod textus in *d. l. transigere,* quae adulterium solum excipit, vident innuere in omnibus aliis, regulam permissivam locum habere, *l. nam quod liquide. §. fin ff. de poen. legat. l. Lucius. §. pluribus. ff. ad Trebel. l. quaesitum, §. denique ff. de fund. instr. quam hic allegavit Butaus.* Secunda ratio est, quoniam in raptu non adsunt eadem rationes, quae sunt in adulterio, quoniam crimen raptus non adeo frequens est, sicut adulterium, quod passim committitur, etsi raro illud in iudicii telam deferatur. Nec ob hoc

opinionem *text. d. l. unie, vers. poenas de rapt. virg.* Quoniam etsi lex parentes puniat, non ex hoc videtur infirmare transactionem, quoniam transactio valeat ad imponendum finem processui, licet transigentes puniantur. Ita illi *l. unie, resp. Bart. in praesent.* et esse eius intellectum communem affirmat *Alex. n. 12.* Sicque habentur utriusque opinionis rationes. Verior tamen mihi videtur negativa: nam quod *leg. si quis servu, versic.* Aut pactione transmissum, *C. pro quib. caus. serv.* attinet. *Resp.* non sunt ea verbi legis dispositiva, sed enunciativa, siue enarrativa ad morem transigentium propter pecuniam respicientia, et sic non affirmant neque approbant transactionem. Idem *Resp. ad ult. l. qui coere. §. qui vacantem ibi.* Etsi pater iniuriam suam precibus exoratus remiserit, *ff. ad l. Iul. de vi publ.* nam ex ea aperte patet, non esse illam transactionem ex auctoritate legis, alias non admitteretur extraneus etiam post quinquennii praescriptionem ad rei postulationem, ut *in d. l. item quia precibus.* ad transactionem incitatus pater attenda gravitate huius delicti et poena transigentium super eo. Nec obstat, quod non tanta sit frequentia huius delicti sicut adulterii, quia illa non est causa cur transigere non liceat secundum *Dd.* sed quia adulterium est crimen caeteris gravius et detestabilius, nam ut *Paul. 1. Cor. VI.* carnis detestans flagitia dicebat: omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus

suum peccat: nam etsi inquit eo loco Theophylactus, videatur, cum hominem trucidamus, corpore id facinus admitti, non tamen uniuersum ex eo corpus sordescit, possumus namque vel lapide vel ligno vel alio quopiam tormento ictus infligere, et nihil corpus hoc inquinare, veruntamen nullo pacto licebit sine corpore fornicari, in quo fit, ut illud omnino commaculetur. Quid igitur in omnibus peccatis adulterio grauius est? *c. quid in omni, 32 q. 7.* Non abs re igitur Accursi. quaedam, inquit, crimina atrociora sunt, quaedam atrociora, quaedam atrocissima ut adulterium, quod tam aegre fert maritus, ut molestius id patiatur, quam proprii filii mortem, et libentius, ut *Hieronym. in Amos c. VIII. ait.* audiat uxorem interfici, quam pollui, adeo ut minus malum sit occidere et furari, quam adulterari. Neque obstat illa exceptio solius adulterii, *in d. l. transigere*, quia licitum est extendere delicta ad similia imo et ad grauiora et maiora, quale est crimen raptus, *argum. l. si quis non dic. Cod. de Episc. et cler. l. 1 C. de rescript. l. in suis ff. de lib. et postb. l. XXII. §. 3 ff. de adult. Dion. Gothofr. in exposit. d. l. Transigere, vers.* Potest hoc loco etiam quaeri, utrum de raptu transigere licet, quem audiui Myrtilletti. Cum igitur de adulterio prohibita sit transactio, de raptu multo magis prohibita censetur, latius de hoc puncto egi in centur. quaestiones ex iure desumptis, quae quandoque supremo auspicio lucem visura est.

CAP. XLVIII.

Qua poena puniantur virgines fricantes sese?

In foedo illo et contra sexus naturam mulierum inter se coitu eiusque poena *Clarus l. V. sentent. §. Fornicatio n. 28. vers. inter mulieres adducit l. foedissimam 20. C. ad leg. Jul. de adult. ut et Petrus Binsfeld. in tractat. de confess. malefic. c. Dubium hic moueri potest. vers. cum nihil afficiatur, circa med p. mibi 228.* in eadem est sententia, in qua lege pro hoc crimine impositam poenam mortis esse volunt, et dicit *Clarus*, esse communem opinionem allegans *Antonium Gomezium super legem 80. Tari num. 34.* ubi maxime, quod saluo excellentissimi *D. Prædici* iudicio dictum esse volo. hallucinatus mihi videtur, nam nullo verbo mulierum inter se coitus meminit ea lex, sed de illis mulieribus, quae ultro se stupro dedunt, ut et *Glossa* ibi tenet, loquitur, id quod patet a contrario in iis verbis: Non earum, quae per vim stupro compressæ sunt. Vbi opponuntur per vim stupratae, et quae ultro sese prostituunt, quae oppositio non procederet inter per vim stupratas, et inter sese coeuntes. Dicitur igitur foedissima nequitia *in pr. n. l. earum*, quae pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, eo quod ultro poscunt, quod alias ab ipsis rogatur, et ut *gl.* exponit, quae mulier sponte committit stuprum cum aliquo. Quo vero modo illa *e)* fricatio fiat, tacere quam

e) fricatio) Peculiares huic rei mulieres *repudiæ* dictæ, suam apud veteres dicunt operam.

quam exprimere melius est, ne virginibus memoria et cogitatio eius rei daretur. *Gomezius plura refert*, quibus id opus a virginibus exerceatur.

C A P. XLIX.

Num virgo menstrua non patiens, sana sit?

Resp. *Paulus I.C lib. IX. ad Sabinum in lib. XV. ff. de adil. edict.* Quae bis in mense purgatur, sana non est. Item, quae non purgatur; nisi per aetatem accidit, decimo tertio siquidem anno *f)* statim virginibus menstrua fluere incipiunt, secundum *Aristot. in Problem.* quae si emanent, puellis magni et periculosi morbi manent, quibus plurimae morti praemature traduntur. Sed quid de ea, quae urinam facit? *Ulpian. in l. XIV. ff. de aedil. edict.* Resp. non ob eam rem sanum non esse quem, quod in lecto somno, vinoque pressus, aut etiam pigritia surgendi urinam faciat, si autem vitio vesicae collectum humorem continere non potest, non quia urinam in lecto facit, sed quia vitiosam vesicam habet, redhiberi posse (tanquam morbosum) et verius est.

O 3

CAP.

f) Decimo tertio anno) Non in uniuersum hoc affirmandum est, nam aliae serius, aliae citius menstrua patiuntur, prout temperies coeli, vitae ratio, aliaeque exigunt res.

CAP. L.

An virgo, cui os olet, sana sit?

Is, cui os olet, an sanus sit, quaesitum est. *Trebatius* ait, non esse morbosum alicui g) os olere: Veluti hircosum *Strabonem*, hoc enim ex illuivie oris accidere solere, si tamen corporis vitio id accidit, veluti quod iecur, quod putino, aut aliud quid similiter dolet, morbosus est. *l. qui clauum. ff. de aedil. edict. vbi vox Strabonem quod vitium oculorum est, varie exagitata a doctissimis viris, Scip. Gentilis in l. Apuleii Apologiam, num. 115. vers.* Nihil minus, quam oris illuiviem libero et liberali viro competere.

CAP. LI.

Quae causa, quod virginis primo menstruum fluxum habentis, camisia in ignem proiecta, eum jstat?

Vt refert *Michael Papa in sua mirac. medic. pag. 1 fol. 196. 197. Coler. Ocon pag 6. lib. XI III c. 116.* Virgines primum menstruum in puro linteo observant, multis enim prodesse ferunt. Sed illud de Camisia superstitiose creditur, et a quibusdam cum experimento observatum memini, at cum damno puellae maximo, illa

g) *os olere*) Semper morbosum aliquem subesse statum, suspicandum est, qui vel ex immunditie, vel ex succorum prauitate, vel ex aliis causis daret originem.

illa etenim successu temporis exaruit *b)* mortique holocausto oblata est. Ratio, quae dari potest, occulta est, et e secretis secretioris *i)* Philosophiae petenda. Fortean summa antipathia inter ignem calidum et inter menstruum sanguinem frigidum in causa est. Salamandra enim serpens frigidissimae naturae in igne vivit et potens est contra incendia, adeo eius inter omnia venenosa vis maxima est: vivit mediis flammis sine consumptione pariter et dolore, nec adustionem ab igne recipit, sed ipsum incendium mitigat et extinguit ut dicit *Isidorus lib. XII. Bartolus, Anglicus de proprietat. rerum l. XVII. de angue. Plinius lib. X. cap. 47.* huic, inquit tantus est frigiditatis rigor, ut ignem extinguat sicut glacies, et nota hic singulare mysterium mythologicum, quod serpens primus sexum femineum suo veneno intecerit, et diabolus suam interea superstitionem in hominibus augendo confirmandoque quaerit, in reprobum ducit sensum, ut nec miserae puellae misereantur, sed ignem morte ipsius extinguant, more antiquorum, qui ob aliquam similitudinem victimas aliquando mactabant, ut equum Soli ob celeritatem, ut est apud *Ovidium lib. I. Pastor.*

O 4

Placat

h) Exaruit) Et ipsa actio, et effectus superstitionis sapiunt absurditatem, et fides historica plane desideratur.

i) secretioris philosophiae) Gaudemus de nostris temporibus ob philosophiam repurgatam ab eiusmodi secretis.

*Placat equo Perses radiis Hyperiona cinctum
Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Sic Cereri aliquando porca offerebatur ac caedebatur, quod esset id animal inuentis ipsius Deae infestum, ut ait idem Ouid.

*Prima Ceres auidae gauisa est sanguine porcae,
Vita suas merita caede nocentis opes.*

Sic Bacchus, quia caper infestum sit animal suis inuentis, eius caede laetari creditus est, ut ait Virgilius lib. II. Georgicorum.

*Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Caeditur —*

Vnde deductam illam superstitionem puto, cum menstruus sanguis quodammodo frigefaciat et languidam reddat corpus virginis, ita et ignem eiusque calorem, non vi propria, sed harmonica et coelesti k) extinguit et sopit. Et vel orta est haec superstitio ab antiquis, quod cum creptum ignem mortalibus rursus in terram detulerit Prometheus, de quo Horat. in I. Carm.

*Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit
Post ignem aetherea domo
Subductum, etc.*

et feminam scilicet omnium humanarum calamitatum originem et scelestum omnino animalis genus

k) harmonica et coelestis) Haec vis non in sanguine virginis, sed tantummodo in cerebello iusmodi virorum, qui nimium sapiunt, inest.

genus inuenierit, ut autor est *Menander*. suauissimus Poeta, ut sic eodem inuento ipsius femina videlicet furtum eius nimirum ignis creptus extingueretur et deleretur. Mythologica haec.

C A P. LII.

An honesta virgo pro defensione attentatae pudicitiae defensione violentum stupratorem licite occidat?

Tradunt *gl. et Dd. ad l. ut vim atque iniuriam 3. ad vers. nam iure ff. de iust. et iur.* etiam ob tutelam rerum suarum permissam esse defensionem et occisionem, dummodo cum moderamine *l. I. C. vnde vi. l. IV. § cum igitur. ff. de vi et vi armat.* Si illud in rebus terrenis et soli, quare non magis in summo illo bono Virginitatis tutandae et conseruandae, vtpote quae Paradisum replet, et sola potest animas praesentare Deo, et est principium aliarum virtutum, *gl. in c. causam. in fin. in verb. priuilegio. De prop. procedat?* accedit, quod minus bonum est contemnendum propter conseruationem maioris boni, sicut ad conseruationem vitae aliquis proicit merces in mari; sed virtus castitatis, est maius bonum, quam membrum corporale. Ergo cum quis licite sibi potest amputare virilia propter conseruationem castitatis, multo magis alterum ad *l.)* tutandam virginitatem interficere

O § potest,

l.) tutandam) Omnia hic referuntur ad moderamen inculpatae tutelae.

potest, et *S. Hieronymus in c. non est nostrum 22. q. 5. dicit.* Vnde et in persecutionibus non licet mihi propria manu perire absque eo, vbi castitas periclitatur. Sed ponitur ibi secundum quosdam Dicitio *Absque* inclusiue sicut ibi: Pulcræ sunt genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet, sic et dicitio *vsque* etiam inclusiue ponitur *13. quaest. 2. c. Ebron.* Adstipulatur quoad se non posse occidere, *Graff. decis. cass. cons. p. 2. lib. III. cap. 29. num. 57. Actius de infirmit. Rubric. 49. n. 43.*

C A P. LIII.

Num virgo ob furtum sit suspendenda?

Constitutio illa Impp. qua fures ob quinque solidos furcis addicuntur, nullum sexus discrimen facit: verum consuetudo, quæ pro lege non immerito obseruatur *l. de quibus. ff. dell. non ita stricte* cum virginibus agit, sed vel alia eas coercet poena, puta relegationis vel gladii, in quibusdam tamen locis etiam suspenduntur, aut inferius colligatis vestimentis, ut vidi aliquibus locis.

C A P. LIV.

Legatum virgini num corruptæ debeat: et praefectur?

Hic sane distinguendum puto. Num intuitu virginitatis, num vero affectione, quam
erga

erga eam habuit legator *m*) propter consanguinitatem, affinitatem vel amorem factum sit legatum. Priori casu legatum non praestari cessante conditione legati, posteriori deberi duco argumento §. *siquidem* 29. §. 30. §. 31. *Institutionibus de legat.* Hinc non proco, quod Baldus in casu: Si maritus leget vxori mille, si vitam seruauerit viduam, at quingentos casu, si nupserit, determinat, quod erunt propria ipsius vxoris transiens ad secunda vota, *in leg. 1. C. de secund. nupt.* motus ratione, quia ita dicendo maritus videatur licentiare vxorem de maritando se et transeundo ad secunda vota, quo casu licentia mariti faciat cessare poenas transeuntium ad secunda vota. Mihi nulla eo legato licentia data videtur, sed potius prohibitio, nam non est casus insolitus mulieres ad secunda transire vota, vt si prohiberetur, licentia siue memoria potius delinquendi daretur, qualem putabat Socrates cum de parricidio poenam nullam statuisset, dicens se non cogitasse tales inueniri homines. Quia autem mulieres semel submissae virili iugo incontinentiores sunt multo virginibus: puto potius esse prohibitionem ex alternatiuo illo legato Mille si non secundo nubat: quingentos si nubat, in primo continetur prohibito, in altero est concessio.

CAP.

m) legator) Arbitrium legatoris quoque hic incertum venit, absque vilo harum circumstantiarum respectu.

CAP. LV.

Num si virgo damnatum quempiam ad mortem n) petat in maritum, liberet ipsum a morte?

Id olim *Vestalibus* erat concessum, ut scribit *Alex. ab Alexandro lib. V. Gen. dier. cap. 12.* Tantæ enim dignationis fuere; quod si dum foras vadunt, ad capitale quicumque supplicium traheretur, si obuiam fieret, ipsum tunc mortem oppetere aut nouissimo exemplo affici non decebat. Et hodie *S. R. E. Cardinalibus* concessum est, si dum ad supplicium ducitur damnatus, Cardinalis obuiaret et poneret capellum suum super eius caput, poena omnino ei remittitur, ita *Caepoll. in caut. 2. in prju. M. Anton. Blanc. pract. crim. caut. 1. n. 2. Paul Castrens. in l. addictos. D. de Episc. aud. Paris. de Puteo in tract. Syndic. in verb. poena, vers. an si primo,* ubi dicit, idem esse in filio regis, qui si obuiat condemnato ad mortem, potest eum a morte liberare, quod tamen respectu filii regis reliquit sub dubio, rationibus per eum adductis, id tradunt *Dd. ad d l addictos, Iul. Clarus 1. sent. §. ut quaest. 98 num. 5.* quoad Cardinales aequiparantur regibus, et in iis fere residet tota maiestas reipublicae Christianae. Quo ad punctum nostrum. refert. *Papo 24. Artesio 10. artic. 14.* exemplum, idque in Hispania vtitatum addit: quorum consuetudo forte deriuata ex *can. inter opera*

n) *ad mortem*) Eiusmodi postulatio absque vlla limitatione non implenda est.

opera caritatis 20. ext. de spons. ad d. 1. XXVII. C. ad l. Iul. de adult. et Chas. in consuet. Burgund. §. 2. in verb. S'il. n' a grace notat, le nul- lam huius rei rationem afferre posse, nisi forte quis censeat, matrimonio iniecto maiorem poe- nam iudici, quam si mors esset indicta. Semel memini factum Marpurgi in prouincia nostra Hassia.

C A P. LVI.

Num mulier post partum virgo dicenda fiet?

Ortum dedit Terent. in Hecyr. act 3. sc. 3. ibi. Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio, quo improbo. Sciendum est hoc: Apud maiores indistincte virgo dicebatur et Mulier. Hinc Clinia adolescens apud Terent. in Heaut. de Antiphilina virgine sollicitus: Sed vereor, inquit, ne me absente haec mulier corrupta sit. Et Virgilius lib. XI. Aeneid. De Cimilla virgine:

*Aduenit quae vestra dies mulieribus armis
Verba redargueret.*

Sic in Bucolicis

Ab virgo infelix, quae te dementia cepit.

Cum tamen constet, Pasiphaen, de qua Poeta loquitur, ex Minoe ante niuei amorem tauri filios suscepisse. Verum proprie id haud fit, sed vel habito respectu et regressu ad tempus, quo virgo desinit esse. Vel ob suspicionem et dubium, quo nescitur, num mulier an virgo sit, alias mulieris appellatione etiam virgo continetur,

lib.

lib. III. ff. de verbor. significat. Illud igitur Terentii: Nam vitium oblatum est virgini: Refertur ad tempus praeteritum, olim videlicet, quando virgo erat, et oblatum dicitur quasi non expectatum et nolenti virgini, quasi quae falli posset. Alterum, sed vereor ne me absente haec mulier corrupta sit, refertur ad suspicionem, ubi Clinia propter dubium et suspicionem Virginem haud nominare audet. Illud Virgilii De Camilla refertur ad tempus futurum, quo ipsa Camilla, etiamsi virgo deserit esse, nihilominus per sua arma celebris et nota erit futuris seculis. Alterum: Ah virgo infelix, refertur ad tempus praeteritum, quo virgo fuit, cum obiiciat ipsi dementiam prioris temporis, qua capta fuit. Proprie igitur mulier post partum virgo haud dicenda erit excepta B. Maria, quae secundum communissimam omnium Theologorum sententiam ante partum et in partu et post partum o) sancta et immaculata virgo permanit.

C A P. LVII.

An virgo nolens nubere gaudeat privilegiis nuptiarum?

Baldus *in l. imperialis. C. de nupt.* tenet, quod sic, verba l. sunt. Sed etsi tales mulieres post diuinum rescriptum ad preces earum datum, ad matrimonium venire distulerint, saluam
eis

o) partum) Ex sententia videlicet quam plurimorum ecclesiae Romanae Doctorum.

eis nihilominus aestimationem seruari praecipimus, etc. *gl. ibid. ad verb. Distulerint.* Idem et si nunquam venerint, sic et *l. repetendi, C. de condit. ob caus.* sic ergo late extenditur concessio, sic et *l. si. ff. de const. pe* et *l. quidam consulebat, ff. de re iudic. et l. si quando. De bonis vacant.* praedictam autem interpretationem licet facere, etiamsi iurauerit contrarium. Vnde sequitur. *Aut. quod eis, etc. Bertachini. in repertor. in l. M. verb. mulier. num 42. et in lit. V. verb. Virgo, n. 7.* Virginitas enim replet paradisum et sola potest animas praesentare Deo, et est principium aliarum virtutum, *gl. in c. caus. in fin. in verb. Privilegio, de probat. et ibi Panorm. in 2. col. in fin. in vers. ult. gl. quaerit, per Felin. in dist. cap. causam.*

C A P. LVIII.

An virgo per vim stuprata Deo possit consecrari?

Stuprum voluntarium punitur in utroque, id est, in mare et femina. Violentum vero non in patiente, *text. in leg. 20. tit. 9, C. ad leg. Iul. de adult.* vsque adeo, ut per vim stuprata nullam patiatur infamiam, nec de adulterio, nec de stupro accusari possit, *text. et Dd. ibid.* licet ipsa sine praefinitione temporis stupratorem persequi possit *l. mariti in fin. ff. eod.* Et adeo iniuratae existimationis est, ut nec nuptiis illius aliis interdicator *text. ibid. in fin.* et virginitatem retinere censetur *c. propositae 32. quae 2.* licet

licet non possit in monasterium recipi, et ut virgo Deo consecrari cal. Iuenculas et ibi *Canonist. 26. quaest. 1.* quia non agitur de peccato sed de sacramento, nisi recipiatur huiusmodi vitata cum distinctione aliqua, omittendo aliquid ex signis virginitatis, *vers. Thom. 4 sent. dist. 38. q. 1. Elbertus Leoninus in process. criminal. ad leg. 20. C. ad leg. Iul. de adult. Summa Raimundi lib. III. cap. 2. et ibi Guillelm. Rhodonens. in annot.*

C A P. LIX.

Vtrum si starent simul duae puellae, honestum sit dicere: Illa est casta?

Resp. Quod non, quia exclusiue altera pungitur et detegitur non casta, *Rebuff. in can. omnis utriusque sexus in ultimo nobili in 7. fallentia Vincent Caroc. de reuelat. confess. quaest. 39.* Limite ego, si ambae sint notae, tunc enim videtur vna excludi, secus si vna sit iocognita, tunc in dubio de nota et eius castitate videtur loquens sentire.

C A P. LX.

Num mutatio vocis in puella arguat virginitatis amissionem?

Aristotel. lib. VII. de animal. Incipientibus, inquit, Venerem vox transit in sonum virilem, abstinentibus vero e contrario. Ratio videtur esse, quod aetatis mutatio, quae in masculo
regu-

regulariter fit per *p*) septenarium, in femina per tenarium, ut *Clemens Alexandrinus ex Solone notavit VI. ἑβδομηκοντάκις*, ante quam aetas in Venus non exercetur, plerumque et vocis *q*) mutationem importet. Alia ratio: quod in coitu, qui incipientibus, et nondum expertis dulcis esse solet, eoque frequentior, arteriae dilatentur, sicque vox sonora magis reddatur propter nimium pruritus, et intemperantiam, uti videre est in brutis animalibus, cervis et asinis, qui in coitu totam sylvam vociferatione et clamore complent. Accedit, quod vox sit nuncius cordis. Bald. in tract. Schismatis 12. col. sicque arguit integram haud esse virginitatem, exemplo est *r*) olla, siue campanula, quae tota et integra minorem sonitum pulsata reddit, e contra fracta aut rima accepta obtusiolem et duriolem; accedit quod laetitia, quae in coitu summa est, dilationem tum cordis tum et spirituum faciat, ut pulcre tradit ex *Hieronimo Fracastorius in lib. de Antipath. et Sympath. Vinc. Alfari-*

p) septenarium) Numerum septimum veteres sanctum quasi habuere, et ipsi varios effectus tribuere soliti sunt.

q) Mutationem) Exercitio Veneris nequaquam mutatio vocis tribuenda, sed potius adultiori aetati.

r) olla) Tritum illud: *omne simile claudicat*; hoc loco nobis etiam non monentibus, optime applicandum est.

Alfarius Ligur. in lib. De inuidia et fascino veterum, Luccae impresso p. 25.

C A P. LXI.

Cum gemelli masculus et femella simul nascuntur, uter prior natus censeatur?

In dubio, primo masculus tanquam robustior praesumitur *argum. l. si fuerit 10. in fin. ff. de reb. dub. vbi tradunt Bart. Socin. et Castrens. et idem Bartol. in l. si extraneus, num. 3. ff. de condict. cau. dat. caus. non sec. Guido Pap. in tract. de praesumpt. n. 5. in fin. Dec. l. 2. num. 44. ff. de R. l. Tiraq. in tract. de primog q. 17. opin. 7. et 8. n. 1. Mascard. de probat. contl. 1087. num. 1. et ibi plures allegati, quos refert Gregor. Rolhag. in certam. masculo, acie virili s. 13. n. 10.*

C A P. LXII.

Num proniores in Venerem ferantur virgines quam viduae?

Euripides: ἀλλὰ θυγατὴρ κτῆμ' ἐστὶν ἐργῶ-
 δες πατρί. Verum filia laboriosa est possessio patri. Vt *Muson*. A filia liberamur, re difficilis et molestae custodiae. Maxime enim pronae in Venerem feruntur virgines, utpote quae magis expectant eam voluptatem experiri, cuius hactenus fuerunt expertes, si ad eam inuitentur *Tiraquell. l. IX, connub. num. 117. et Aristot. lib. VII. animal.*

animal. hist. cap. 1. suadet puellas tñm maxime custodiendas esse, cum menses s) habere incipiunt. Est verum secundum aliquos, quod virgines magis appetunt coitum, quam coniugatae, quia dulcius putant, quod nunquam expertae sunt: et tamen postea comperiunt, eam voluptatem esse, sicut sunt caeterae huius mundi, quae momento vix durant, cum non possit durare quantum vna Ephimera vel interdictum de glande legenda, quod durat triduo vel quantum Papa Gregorius Mediolanensis successor Coelestini, qui duravit quindecim diebus prout haec 4. Epist. refert. *Rodojr. in rubr. ne sede vacante, col. 1.* vel quantum sponsae mensis Maii, quae durant vno die, l. 1. *C. de Maiuma lib. XI.* vbi Iacob. Rebuff. ponit formam antiquitus obseruari solitam, vel quantum durat strena, quae durat. 1. die Ianuar. *gl. in aut. C. de consil. in verb. Ianuarii, Sylua Nuptial. Nenizan. lib. II. num 13.* Verum contrarium verius est, incontinentiores videlicet esse viduas conjugalis istius beneficii compotes factas et adhuc memores, quam virgines, quae dulcedinem istam nondum fuere expertae. Hinc et *L. Apuleius in Apol.* Non tamen libenter in ipso aetatis suae flore tam diu vidua. Et ibi *Scipio Gentil. in not. n. 668.* Impatientius enim viduae, vt pote expertae, a coniugio abstinent,

P 2

stinent,

s) *menses*) Siquidem mensium causam *le Cat phlogiston* aliquod libidinosum esse censet. vnde haec opinio ex hac causà firmamentum aliquod accipit.

stinent, Iuniores praesertim. Id quod et sacra-
tiss. Imp. Iustin. animaduertit et censuit *in tit. C. de indicta viduitate tollenda*, addit rationem,
cum enim mulieres ad hoc natura progenuerit,
vt partus ederent et maxima eius cupiditas con-
stituta in hoc sit l. 2. d. tit. Vnde et tempus
eligendi suos maritos mulieribus praestitutum
erat decem mensium propter turbationem san-
guinis l. librorum 11. ff. de his qui not. inf. ex
quibus patet, incontinentiores semper habitas
fuisse viduas virginibus.

C A P. LXIII.

*Quare virgines in quibusdam iocis prouiores sint
ad Venerem et luxuriosiores quam in aliis?*

PTOLEMAEVS scribit, propterea quos-
dam, quod eorum natura primo Zodiaci t) Tri-
gono cognata sit, quo Aries, Leo, Sagittarius,
continentur, nefanda quaedam committere et
abominabile tamen omnino nihil se designare
putare, vt qui signis subiecti sint ab antica parte
masculis, a postica femineis. Verum contra
Ptolemaeum disputat Glycas, annal. part. 2.
iniustus sic esset Deus qui Sodoma per ignem
in cineres redegit. At fieri nequit vnquam, vt
iustus ille sit iniustus. Alia igitur ratio quae-
renda erit. Luxus causa erit: nam is eiusmodi
flagitia

t) Zodiaci) Signis Zodiaci hac in re aliquid tri-
buere superstitiosum, ineptum ac incongruum
est.

flagitia gignere consuevit. Idcirco Moses Israelitis praecipit: Vbi comederis ac biberis, caveo ne forte Domini Dei tui obliuiscaris. Etiam praestantissimus ille Medicorum Galenus, voluptatem ac delicias ostendit esse praeposteræ illius Veneris et procliuuitatis ad eam causam, quum ait: In Mysia nostra, quæ Pergamo finitima est, raro quis feminam adulterii facinore se obstringentem reperiat et rarius etiam proteruos homines, qui dediti sint iis amoribus, quorum ne nomen quidem aperiendum est. At Romæ propter abundantiam deliciarum, quæ istic minime sunt insolentes, procliuue est huiusmodi patrare. Vnde exclamat Marsi, quod defecerunt aetates, et illud quod ante scribere soliti sunt auctores, *in leg. si infante, inpr. de iure deliberandi*, circa vitia et defectus in quindecimo anno, faciunt nunc infantes in quinto, vnde ludere ad taxillos et alios ludos prohibitos et decipiunt ludentes secum. *Idem in leg. si quis re, C. eod.* quales sunt illi, quos Lombardia, Normandia et Roma generat *gl. in l. sequitur in verb. Animam ff. de vsuc. Vantius de nulli: sent. defect. mand. num. 6.* Sic vrbe tot in Veneta scortorum millia cur sunt? Causa est copia et abundantia deliciarum. Vere enim Venetiae a *Iasone in l. si insul. 1. ff. de V. O.* Paradisus deliciarum appellantur. Hinc Germani, ^{u)} quibus

u) Germani) Muratis temporibus, luxuque introducto, etiam Germanos mutatos esse, experientia ipsa non testatur solum, sed clamat.

bus omnium mater non ita delicias suppeditat, quum et frigidiori sub coelo habitent, nec ita delicate vivant, frigidi et segnes in Venerem se untur. Cum reliquæ gentes, Itali, Galli, Hispani, Turcae, belluino quodam modo furente in Venerem prouant. Eiusmodi igitur homines Sodomitæ in saturitate panum, quemadmodum Literæ sacrae loquuntur, salaciter luxuriando, non quod tali, vel tali trigono subiecti essent, ad concubitus nefandos deuoluti et ab igne sunt absumpti. Luxus igitur et delicata vita in causa est. Vbi enim omnium rerum abundantia, ibi laetitia gaudiumque omnia replent, timor fugit, sicque omnia in peius ruunt. Luxuriant enim animi rebus plerumque secundis. Id quod et in diuersis Germaniæ nostræ partibus cernere licet: quo enim terra fertilior est, eo homines nequiores.

C A P. LXIV.

De variis virginum in variis Italiae locis, dotibus, et vitiis externis.

Colligit subsequ. Nathan Chytraeus in deliciis variorum itinerum praecipue Italiae nationis.

Senenses pulchrae.

Florentinae delicatae.

Perusinae elegantes.

Caietanae formosae.

Consentinae obstinatae.

Beneuentanae rusticae,

Bononi-

Bononienses arrogantiusculae.
Mutinenses benignae.
Cesenate rapaces.
Genuenses salaces.
Placertinae difficiles.
Mediolanenses urbanae.
Pedemontae procaces.
Veronenses gratiosae.
Brixianenses diligentes.
Formianae speciosae.
Lucenses castae.
Pistorienses faciles.
Romanae graues.
Capuanae superbae.
Neapolitanae sollicitae.
Brundusinae inertes.
Ferrarienses auidae.
Rauennates humanae.
Urbinate affabiles.
Vicentiae constantes.
Parmenses auarae.
Papienses lucri cupidae.
Laudenses superstiosae.
Cremonenses sumtuosae.
Teruisanae zelotypae.
Bergamates astutae.
Aretinae tenaces.
Puteolanae bellae.
Venetae petulantes.
Cremenses fallaces.

C A P. LXV.

Virgo nupta quo tempore sponsa dicenda?

Sponsorum appellatione non solum eos venire, inter quos breui nuptiae futurae sint, sed etiam eos, quorum nuptiae recens fuerint celebratae, docet omnino communis vsus loquendi, *Ripa vero in tract. de nocturn. temp. c. 33.* eos sponfos appellat, quorum non futurae sint nuptiae sed celebratae, sed recentes. Addit ex Canonibus sacris *in cap. sponsus et sponsa, distict. 23.* vbi sunt haec verba; Sponsus et Sponsa cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permanent; declarando tamen, ut ibidem deinde declarat *glos. in verb. Virginitate.* ut scilicet illud sit de consilio, non autem de praeepto *ex Iob. Neuiz. in sua sylua, lib. IV. in verb. Est nubendum, num. 79. vers. et communiter.* qui scripsit, cauere omnino debere sponsum, qualem se prima nocte sponsae suae significet, an simplicem et bonum hominem, an callidum et prudentem virum, talem enim saepius consuevit mulier virum habere in posterum, qualem prima nocte sibi pertulerit

C A P. LXVI.

Num Iohannes Euangelista fuerit sponsus in nuptiis illis in Cana Galilaea, Ioh. II.

Arbitrati sunt quidam, Iohannem Apostolum et Euangelistam fuisse sponsum illum de nuptiis

nuptiis specialiter vocatum a Domino; sed nullam habet probabilitatem. quamvis id plures habeat auctores, tenet *Cantipratanus lib. cap. 29. §. 3.* testatur id expresse libellus in Gallica lingua editus, cui tit. *La vie de Jesus Christ. pag. mibi F. 3* cuius apertam refutationem vide in *Ioh. Motan. l. IV. de pict. c. 20 et Caesare Baronio. Annal. Eccles. ad annum Christi 31.* Multis imposuit hac in re praefatio August. tit. tract. in Ioh. Tanti est cognouisse veros librorum auctores Coluener in not. ad Cantipr. Verum cum textus non nominet sponsum, nec nostrum augurari erit. Nec credibile est Christum ideo comparuisse, ut auocaret eum à statu coniugali, sed potius contrarium, ut confirmaret cum et benediceret sua praesentia sancto illi statui, utpote qui in Paradiso a Deo ipsomet institutus erat, quod patet ex eo, quod primum suum miraculum ibi fecerit, aquam in vinum optimum vertendo. Canitur alias in festo S. Iohan. Euangel. et est formula precandi in oratorio Lateranensi S. Iohannis Euangelistae Romae:

Vers. Valde honorandus est beatus Iohannes.

Ref. Cui Christus in cruce matrem virginem virgini commendauit.

CAP. LXVII.

Cur in lege antiqua virginitas non commendabatur?

Quæri potest, cur in antiquo populo Dei commendabatur integritas x) virginalis, et nunc post aduentum Christi deserta eremi virginitatis liliis decorantur. Vna ratio propagatio fuit humani generis et maxime populi Dei. Secunda quia rudis ille populus ad litteram maledictionem sterilitatis metuebat, *Ex. XXII.* Inde filia Iephtae virginem se morituram expauit et a patre desendi virginitatem suam tempus tantum trium mensium postulauit *Iud. XI.* Beatissima vero virgo Maria, super quam requieuit Spiritus sapientiae et intellectus, virginitatem Deo prima omnium vouit, et sterilem a fructu bonorum operum, legis maledictione plectendam ostendit. In cuius rei figura Christus postea ficui non habenti fructus maledixit et aruit, *Matth. XXI.* sed et discipulis plane dixit: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

CAP. LXVIII.

Virginitas cur lilio comparetur?

Et beata quidem virginitas lilio comparatur, tum propter candorem mitem, tum quia ex
lex

x) *integritas virginalis*) Haec res ex Legibus Iudaeorum eorumque consuetudinibus definienda, quibus scilicet virginitas et matrimonium absque sobolis procreatione opprobrio erant mulieribus.

sex foliis y) repandis constat, ut cordi primo deinde quinque sensibus corporis ab omni contagio illibatissime caueatur. Et bene folia ista repanda dicuntur, quod prominens et apertum significat: quia licet omnis gloria filiae regis ab intus quantum ad exigentiam exigatur: tamen quia Dominus in Euangelio iubet, ut opera nostra ad exemplum luceant proximorum, necesse est, ut compositio forinseca sensuum ad commendationem virgineae dignitatis ordinatissime famuletur, *Cantipr. libr. II. mirac. c. 29. §. 4.*

C A P. LXIX.

Quae causa, quod virgo primitias arboris decerpens, fructus eius arboris fissura notet?

Num quod virgines quodammodo impurae et immundae censentur ob menstruum illum fluxum, qui segetibus, frumentis, herbisque noxius est? Num quod Eua in damnum omnium nostrum fructus de vetito ligno in Paradiso contra prohibitionem Domini decerpserit, quod puto verius, ut ad hodiernum usque diem admo-
neamur transgressionis illius et reatus, in quo per culpam Euae sumus. Vnde et virgines ad primitias rosarum decerpendas iuvenes adolescentes inuitare solere scio, ut in posterum sine fissuris nascantur. Hieroglyphicum quid cape. Contrarium tamen tenebat D. de Castro de praeg-
nante,

y) *Sex foliis*) Minus vera haec ratio censenda, et ne ingenuosa quidem.

gnante, quod illa admittenda sit ad decerpendas primitias frugum, ratione mythologica, ut fiet secunda instar arboris, iuxta Psalm. Erunt filii tui instar ramorum oliuae, etc.

CAP. LXX.

Quare pulices puellis, virginibus, imo sexui femineo inimici magis sint quam iuuenibus adolescentibus?

Num quod pellibus et tegminibus ouinis pleraeque sint circumdatae, in quibus latibula quaeritant sua? Num quod puellae et feminae maiora venandi z) pulices otia habeant, quam vestes gerant inferius apertas, cum contra Iuuenibus semper caligae sunt soluendae? Num quod tenera magis et leuiora habent corpora virgines, quae plena cruore lacerare magis possunt, quam iuuenes? Num poenae loco, ut infirmitas earum ex eo conspiciatur, quod paruus pulex tam amara lues sit et inimica puellis? ad quod et Ouidius videtur alludere in suo carmine Pulex:

Parue pulex et amara lues inimica puellis.

Num quod virgines semper habeant inguina humida, sicque non longe absint pulices a fonte, id quod et praedicto in carmine Ouidius inuit:

*Aufus es interdum per membra libidinis ire,
Quod*

z) venandi) Ridiculam sane rationem in re admodum ridicula, quis non admittet?

Quod et secutus facetus Poeta Seb. Schefferus
lib. II. Epigr. p. 107.

*Ac ius exagitat pulicum muliebria coetus
Corpora, securos et finit ire viros.
Scilicet hi tribuunt escam tantummodo, potum
Illa simul viuo tradere fonte solent.*

CAP. LXXI.

Quare deteriolem odorem) puellae virgines de se
spargant quam iuuenes adolefcentes?*

De domitore illo mundi Alexandro M. scrip-
tores referunt, corpus ipsius a natura odorem
Mofcheum vel intar nucis myriticae spartiffe,
vt et vestimenta eius odore plena astantibus na-
res impleuerint. Id quod mirandum naturae
miraculum in mirando mundi domitore aesti-
mandum est. Deterioris autem odoris puella-
rum ratio est impuritas sanguinis, quae ex defe-
ctu et imbecillitate istius lexis oritur, accedit
venenosum illud menstruum, quo vexantur, quo
laborantes etiam solo halitu specula inficere,
maculas illius innuere, teneros fascinare oculos
dicuntur, cuius quidem rei aniculae non pau-
cae fidem faciunt, quarum impuritate multi pu-
eri effascinati grauissimum discrimen adeunt,
saepe etiam acerbam subeunt mortem, pecudes
partu

a) *deteriolem odorem*) Non in vniuersum hoc
dici potest, sed ex pruritu libidinoso eiusmodi
deterior odor oriri solet, qui et in quibusdam
adolefcentibus se prodit.

partu et lacte priuantur, equi macrescunt et emoriuntur, segetes sine fructu metuntur, arbores arescunt, ac denique omnia pessum ire videntur, perfectior autem et fortior, ut est natura sexus masculini, eo maiori et meliori etiam odoris sacrificio naturae sacrificat, hinc *Bernh. super. Cant. sermone 71.* Odor bonus Testimonium bonum. Hinc et Daemonibus praeter lumina et nidores caesarum victimarum cantus etiam et odores grati sunt Idcirco Medea, utpote venefica sacrorum rituum peritissima cum ventis sacrificaret *apud Apollonium Rhodium, libr. IV.*

— *procul illa e montibus altis*

Deduxere feram syluestrem quo illa cupiuit.

Et Homer. lib. I. Iliad. pro depellenda pestilentia nidores victimarum Apollini etiam obtulit in his:

Si vult caprarum, si vult nidoribus ille

Obuius agnorum fieri, ac depuscere pestem.

Hinc Daemones b) sexum femineum magis aggreduuntur, eique maiores struunt insidias ex odore malo ad malum proniorem et decliuorem ducentes.

C A P. LXXII.

Quare melius possint currere virgines quam iuuenes?

Num quod natura sexus huius imbecillitati in aliquo gratificari voluerit, sicque celeriori donarit

b) *Daemones*) Vnde haec argumentis sint fulcenda cum ignarissimis sane ignoro.

donarit cursu, quo facilius fugam c) eripere, sibi que consulere et se conseruare possit? Num quod impedimenti nihil habeant, sicut Amazones, quae mamillas abscidere, vt agiliores essent ad pugnam, quarum et vna Procella a velocitate sic dicta fuit. De Atalanta etiam refertur, quod corporibus, viribus et celeritate pedum, non solum feminas, sed etiam homines antierit Natal. Comes Mytholog. lib. VII, c. 8. memoratur de eadem, quod victa fuerit ab Hippomene cursu, dum malis tribus Hesperidum colligendis retardata fuisset: quam rem sic testatur Arabius:

Ἐδία γάμων ἔρριπτις, ἢ ἀμβολίην ταχύτητος
 Τῆτο γερὰς κέρη χρύσειον ἵππομένης,
 Ἀμφω μῆλον αἰυσει, ἔπει καὶ παρθένον ἐρμῆς
 Ἐργει, καὶ ζυγίης σύμβολον ἦν παρίης.

*Num dotem magis, an tardandi praemia cursus
 Aurea ab Hippomene mala puella capit?
 Malum utrumque fuit, tardauit namque puellam
 A cursu, et nodos nexuit in Veneris.*

Nam fuit multorum antiquorum mos, vt nuptias virtute comparandas praestantium mulierum proponerent. Sic Antaeus res Libyae filiam Alceim, vel, vt alii maluerunt Barcen, victori cursus proposuit. Sic Danaus filias.

Sic

c) fugam) Neque hoc ad omnes extendendum, nam adoloscetes velocissimis pedibus praeditos interdum esse, res ipsa loquitur.

Sic Pisander Camirensis forores, ut ait Pherecydes. Sic Hippodamiam propositam ferunt. At quod in templo magnae matris morae impatiens, nulla habita Deae reuerentia cum Hippomene victore concubuit, Hippomenes in Leonem, ipsa in Leenam conuersa est.

CAP. LXXIII.

Quare clarior vox virginum puellarum quam iuuenum?

Cum sermo manifestet animi qualitatem, *l. is qui, §. Dicus, ff. de tut. et curat. dat. ab his.* Item vox est nuncius cordis, *Bald. in tract. Schism. 2. col.* Clarior illa vox Virginum et lexis imbecillitatem et fragilitatem et animi inconstantiam denotat, item subiectionem arguit. In iuuenibus adolescentibus contra dura et aspera vox et cor durum mageque constans arguit, itemque imperium in feminas *Vnde Arist. 1. Pol.* Silentium mulieri praestat ornamentum, et homines sonis, ut aera tinnitu dignoscimus *Quint. lib. XI.* item pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia, minoribus enim maiora monstrantur: vultu enim et oculis dissimulari non potest conscientia. *Hieron. sup. 12. Proph. lib. II.*

CAP. LXXIV.

Quibus coloribus, quoad vestimenta, uti debeant virgines?

Si in vno aliquo omnipotentia et magnificentia *Dei* praelucet certe ac maxime in diuersis

sis coloribus elucet, stellae rubescunt, sol et luna clarescunt, herbae virescunt, rosae variis coloribus distinctae sunt, vnus tamen color alii praestat. Prius autem quam ad condecentiam perueniamus, colores principales speciatim recensebimus. Est color albus, d) niger, ruber, flauus, croceus viridis: Mixti, citrinus, purpureus, violaceus, subuiridis, subcitrinus, glaucus, spadiceus, etc. Qui autem mage exornet virginis habitum, et qualis: dubitari posset. Num ruber? Non, quia denotat tyrannidem, et effusionem sanguinis. Sic Tamerlanes, quando urbem obsidione cingebat, primo castra et tentoria alba metabatur gratiam pollicens et promittens, altera die rubra ostendebat, tyrannidem in effusione sanguinis minans. Tum quia et ignis istius coloris est, omnia consumens. Vnde et ruber iste color in Iride mundum igne perituum denotat secundum Chaldaeos, meminit et Imp. Iustin. rubri coloris in Instit §. interdum furti tenetur, ibi panno rubro fugauit armentum. De Oblig. quae ex delicti. Tauri pannum rubrum ferre non possunt, hinc Ouid. lib. X.I Metam.

*Haud secus exarsit quam circo Taurus aperte
Cum sua terribili petit irritamina cornu
Phoeniceas vestes.*

Num

d) color albus) Quae iam proponuntur superuacua omnino sunt, quamquam magnam in arte eruditionis copiam auctoris conspiciere licet.

Num flauus? Non, quia proditorius censeatur color, fortean quia citius deficit, aut quia auri color est, cuius gratia nihil non perpetratur, iuxta illud: Auri sacra fames quo non mortalia pectora cogis? hinc et proditor Iudas flauo pallio depingitur. Et Iudaei in plerisque ciuitatibus, vbi certis signis notati incedere tenentur, flauis coloris circulo vti coguntur. Sic Francofurti ad Moenum. In Italia, Patavii, Antenorae et Romae flauis pileis. In terris serenissimi Domini Venetiarum deferunt biretum crocei coloris, vt ab omnibus dignoscantur, quod introductum est in eorum ignominiam et opprobrium, vt ab eis sit cauendum. *Marquard. de Susannis, de Iudaeis, pag. 1. cap. 4. num. 3.* Item Monetarii flauis palliis de consuetudine incedere tenentur, vt attigi in *Comment. ad tit. de dignitatib. C. lib. neque ad Dn. Iohannem Bleymolletum Variscum.* Muriones itemque Aethiopes apud nos flauo vestiuntur colore vtpote contemptibili et despecto. Vnde et insignia eorum, qui facinus aliquod perpetrarunt, hoc colore in dedecus et infamiam perpetuam notantur. Num purpureus? Non, quia denotat superbiam, eo enim solummodo Imp. antiqui vtebantur, *l. purpurac, et tot. tit. C. de vestib. olofer. et aurat. et de intinctione sacri muricis. lib. IX.* Num niger? Non, quia triste notat, hinc inferi eorumque habitacula nigra dicuntur, noctes atque dies patet atri Ianua Ditis, hinc et lugentes nigro incedunt vestitu. Et Manichaei tenebras ob
nigre-

nigredinem, a malo principio creatas arbitrabantur. Hinc et praenominatus Tamerlanes tertio die nigra tentoria ostendebat interneccionem usque ad unum minando, nulli parcendo. Num glaucus? Videtur quod sic, quia coelicus hic color est, quotidie nos admonens coelica et superna quaerere. Vnde et constantiam veteribus denotabat, quando Germanos caesis siue glaucis oculis laudabant. Num spadiceus? videtur quod sic, quia non ita luxuriat, sed commixtus est, sicque aliquo modo gratus censetur. Num viridis? Maxime: quia iucundissimum anni tempus eo cingitur et ornatur, omnes herbae medicamina morborum, gramina et pascua campi, nutrimenta pecorum, hocce insigniuntur. Num albus? Optime, Maxime: Simplex enim ille color purusque simplicitatem et puritatem candoremque animi significat: hinc et Angelorum proprius *Matth. XXV.* Ex quibus liquet, viridem et album colorem maxime condecere virgines. Alba e) etiam veste ornari solebant, quae candorem animi et hilaritatem prae se ferebant, ut in conuiujs. *Cic. in Vatinius.* Cum ipse Q. Archias epuli Dom. albatus esset. Hodie quoque apud Italos virgines desponsatae, quas vulgus vocat Fiancees albis tunicis uti solent ad puritatem quandam et integrum pudorem ostentandum *Baysius de re vestiaria, c. 9. de lanarum et vestium coloribus.*

Q 2

CAP.

e) alba) Miror sane auctorem ingeniosum propter alba vestimenta non hanc rationem attulisse, quia sunt virgines candidatae matrimonii.

C A P. LXXV.

Qui crines exornent Virgines?

Quamuis omnes colores mirabilem Dei omnipotentiam repraesentent, cum tamen et sua habeant naturalia principia, semper aliqui habiti sunt in honore, alii vero in despectu. In virginibus autem, utpote quae longam aere tenentur comam, eaque plus aequo superbiunt, quis placet? Ruber num? Non, quia praeterquam, quod malum ac peruersum denotat animum, superabundantiam menstrui arguit sanguinis. Num niger? videtur eum probare Salomon Ecclesiast. in Canticis suis, quo beniuolum selego Lectorem. Etenim matronae et spectatae pudicitiae mulieres nigro capillo, et longe lateque fusa toga ad talos demissa, stolaque et flammeo ac vittis et reticulo, quo capita velarent, utebantur. Cum meretrices flauum capillum haberent, *Alexand. ab Alexandro Gen. dier. lib. V. cap. 18.* Hodiernis moribus maxime probantur et laudantur flauis crines: f) coloribus aureis, flauis, albis, etc tingendi crines formulas, tradit *Weckerus in libr. V. cap. 6. de secretis.*

C A P. LXXVI.

Virgines comae primitias olim, cum matrimonium iniissent, deabus consecrabant.

Scribit Iulius Pollux lib. et cap. III. Virgines, quum matrimonium iniissent, comae primitias

f) flauis crines) Temporum mutatio et hac in re mutationem induxit. Laudantur ab his, culpantur ab illis.

mitias Deabus suis consecrasset. Autor est Pausanias lib. II. quod Trazenae puellae ante nuptias detonsam comam templo illatam Hippolyto dedicabant. Idem Pausanias in Corinthiacis tradit, in Sicyonia esse ὑγιείαν; hoc est sanitatis simulacrum, quod haud facile conspici potest quum undecunque comis, g) quas mulieres Deae illi obtulere, detonsis veletur. Erat autem deuotae deditio et seruitutis hoc signum. Seruis enim olim comam et barbam nutrire vitium erat. Vide legimus apud *Aristophan.* δῆλος ἂν κόμην ἔχεις; i. e. Seruus quum sis, comam nutris? aliam etiam ob causam antiquitus radebant barbam et Diis offerebant, ut se ipsos mundi et purificati dedicarent. Hac ratione sacerdotes Aegyptios totum corpus rasisse et depilasse, testatur *Herodotus in II. quod item ex Diodoro Siculo lib. II. cap. IV.* elicitur. Qui mos et Hebraeis frequens fuit, ut habetur in *Leuit. c. XIV. Baruch. VI.* In aliquibus item Ecclesiis, praesertim Syriae et Aegypti tam virgo, quam vidua, quae se Deo vouissent et seculum calcassent (inquit Hieronymus epist. 48.) crinem monasteriorum matribus offerunt delectandum non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessurae capite, sed ligato pariter et velato, nec id quidem ut Vestales imitentur Romanorum virgines, quae incisos sibi capillos

Q 3

ad

g) *comis*) Vide Iust. Fr. Günzii, doct. commentat. de vota puerorum coma, et iuuenum barba apud veteres, L. 1737.

at arborem loton suspendebant, sed aliis ex
 casis, quas Hieronymus recitat. Imo et pro-
 pter mysterium: cum enim in signum subiectionis
 dati sint illis capilli, Christo iam desponsatae
 in libertatem vindicatae, ne quidquam amplius
 viris debent. Nec de his dicit *Apostol. 1 Cor.*
XI. Mulier, si comam nutriat, gloria est illi,
 quoniam capilli pro velamine dati sunt illi, de
 illis enim, quae viro non sunt obligatae, Paulus
 loquitur. Porro, si turpe est mulieri tonderi
 vel decalvari, velet caput suum. Sacro iam
 velamine illarum cum caput obducatur, capillis,
 quibus tegantur, non indigent, et cum nec
 capillorum cultu viris placere cupiant, quae
 Christo tantum morum probitate student esse
 gratae, eo dispendio pulcritudinis coelesti spon-
 so magis redduntur acceptae *Caesar. Baron. in*
thes. antiq. Eccles. tom. 1. c. 269.

C A P. LXXVII.

*Quare non ita multum bibant virgines, ut iuvenes
 masculi?*

Num quod non ita sunt calidae naturae si-
 cut masculi? Num quod imbecillioris sunt na-
 turae? Num, quod non ita sunt consuetae?
 verius: consuetudo etiam eas a conuiuibus *b)*
 arcet, nam et apud Romanos bibere vinum illis
 prohibitum erat *ex 1. XII. Tab.* Vnde et Ig-
 natius,

b) conuiuibus) Minus veram causam offert auctor,
 auctor, et nostris temporibus non conuenientem,
 potius in quam plurimis praua consuetudo, in
 causa est,

nātius, quod vxorem, quod vinum bibisset, baculo ante dolium interfecisset, absolutus legitur, hinc et oscula originem sumserunt, vt ita sentirent, num vinum redolerent.

C A P. LXXIV.

Num ex longo et acuto naso praesumenda fiet virgo iracunda?

Praesumptio haecce communiter recepta est secundum i) physiognomicos. Nasus enim longus et aliquantulum subtilis significat hominem audacem, curiosum, in factis iracundum, vanum, cito conuertibilem: ad vtrumque debilem et ex facili credentem. Cuius nasus fuerit valde acutus in puncta et mediocris inter longum et curtum, grossum et subtilem, significat hominem cito irascibilem, valde sui sensus, facile rixosum, et dedignosum, sagacem, debilem, maliciosum, seductorem, minacem et memorem. Cuius nasus fuerit nimis longus et in puncta plus subtilis quam grossus et conuenienter rotundus, significat hominem in loquendo audacem, in agendis probum, facile iniuriosum, fallacem, inuidum, tenacem, in fide secretum, cupidum alieni et multis modis latenter maliciosum, vt recenset excellentissimus rerum naturalium percrutator *Michael Scot. in Physiognomia*

Q 4

ad

i) *Physiognomicos*) Quamquam nostris temporibus magna Physiognomia cepit incrementa, nihilo tamen fecius adhuc admodum fallax est existimanda. Ergo rationibus auctoris parum quoque tribuendum.

ad Fridericum Rom. Imp. c. IV. de Naso. Sed quae causa istius praelumtionis? Num quia ubiuis locorum impingant, ex quo ita facile irascantur. Fortean et pudor in causa est: defectus enim siue excessus naturae semper inuidiam et iram excitat, vt pulcre deducit *Vincentius Alfarius Ligur. in lib. de inuid. et fascino Veter.* Fortean, quia acutiorem et perfectiorem olfactum habent, et sic quemuis aera facilius et citius ad se recipiunt, ex quo citius et facilius ad iram commouentur et bilem, sicut de canibus referunt naturae perscrutatores, quod olfactu caeteris animantibus praestent: hinc et magis iracundi in reliqua feruntur animalia.

CAP. LXXIX.

Quo ingressu condeceat virgines incedere?

Quum multum augurii quoad qualitates animi ex moribus externis sumatur, maxime subiicit ingressus. Passus pedum enim eundo si fiant tardi et ampli, significant hominem habentem malam memoriam, grossi ingenii, turbidi intellectus, tenacem, pauci laboris et non facile credentem omnia. Cuius passus eundo fiunt veloces et curti, significant hominem velocem in agendis, cito imaginantem, vicem tenerae capacitatis. Cuius passus fiunt ampli et discordanter viam rectam non tenentes, significant hominem simplicem et grossi nutrimenti ac sagacem in malo, vt patet de vulpe. *Michael Scotus*

tus in physiognomia, cap 97. Ast virgines quis magis condecet? Num celer? non, ne videantur mobiles et leues luxuriosaeque, si celeri planta plateas terant. Num tardus? Non, ne videantur ineptae et segnes ad regimen domesticum. *k)* Moderatus igitur probatur moderatum denotans animum, ad bona quaeuis primum Pudice igitur incedant puellae virgines. Nullus enim ita caute unquam se gessit, quin carperetur a malitia, nec virgo ita pudice vitam instituit, quin vel ex oculi nictu vel vestigio per viam imprudentius facta a libidinoso adolescente in suspicionem violati pudoris venerit. Cum Tullia Ciceronis filia concitatius incederet quam deceret feminam, contra Piso gener lentius quam deceret virum, ambos eodem dicto taxavit Cicero filiae praesente genero dicens: *Ambula ut vir.*

C A P. LXXX.

Quare luxus et ornatus conuenientior virginibus quam adolescentibus?

Quum natura imperfectior sit sexus femineus minoresque ei animi dotes *l)* concessae, ex-

Q 5

ternis

k) moderatus) Vera utique protulit auctor, et omnes morum magistros hac in re habet consentientes.

l) Animi dotes) Tot tantaque exempla, quae contrarium praedunt, non loquuntur, sed clamant haec ab Auct. proposita veritati quam maxime ad.

ternis sese extollere et exornare gessit, cum fibulis ac baltheis auratis gemmatisque incedit, qui luxus virginibus congruentior quam adolescentibus. *Forma* etenim *viros neglecta decet*, ut canit Ouid. et vino vendibili non opus est suspensa hedera. Ut igitur facilius emtorem inueniant puellae, comam exornare, faciem fucare, mollibus et expolitis incedere vestimentis, quo iuvenes adolescentes alliciant, illisque retibus capiant, summa illis cura est. E contrario iuuenis molliter incedens et deliciose vitam colens magnopere improbatur, ut refert *Herodianus lib. V. de suis temporib. De Imp. Macrino*, quo beniuolum selego Lectorem. Comparantur *m)* igitur eiusmodi excultae puellae Templis Aegyptiorum, quae extra splendido ornata fulgent, interius autem nisi simia vel felis inuenitur.

CAP. LXXXI.

Num ornatus ad occultandam morbi turpitudinem virginibus permissus?

Ornatus mulierum licet saepe reputetur illicitus, ut per summistas in vers. ornatus: tamen ubi

aduersari. Nam experientia edocti cognoscimus sexum femineum doctrina et institutione magnis sane animi ornatum esse dotibus.

m) Comparantur) Inepta atque insulsa haec comparatio tantummodo ferit omni animi culta destitutas.

vbi fit ad occultandam turpitudinem ex morbo
 prouenientem non improbat ex *D. Thom. II.*
2. q. 169. art. ult. in fin. aliud enim est fingere
 pulcritudinem non habitam, et aliud occultare
 turpitudinem ex accidenti aliquo prouenientem,
 vt ex morbo, hoc enim licite fit, vt per *Thabie-*
nam post D. Thom. citatum in verb. Ornatus,
ult. Alius de infirm. lit. O. in fin.

CAP. LXXVII.

Quare amantes palleſcant?

Quamuis amor vtrumque afficiat ſexum, fe-
 minicum tamen ardentius vrit. Palloris *n)* au-
 tem cauſa in amoroſis eſt, quia prae amoris ma-
 gnitudine aeſtuantis dilatati cordis ſpiritus eua-
 porant, propter quorum nutrimentum et re-
 ſtaurationem natura calorem ab exterioribus ad
 interiora reuocat, et ſic ſuperficiem cutis per
 ſubtraſtionem calidi ſanguinis diſcolorat, iuxta
 illud:

Palleat omnis amans, color eſt aptus amanti.
Bartol. Angelicus de propriet. rer. lib. XIX.
de colorib. c. 12. de pallido colore.

CAP.

n) Palloris) Huius cauſa non tantum amor, ſed
 variae artes ob ſtudium pulchritudinis, pallor
 enim ad τὸ καλόν pro temporum noſtrorum ratio-
 ne refertur, eſſe ſolent;

CAP. LXXXIII.

*Num virgo ad sanitatis conseruationem o)
actum coniugalem admittere debeat?*

Non posse absque veniali peccato dixit *Turr. Crem. in cap. quicquid, vers. quinto potest. 32. q. 2.* coitus autem cum non coniuge penitus est illicitus etiam ad vitandam mortem ex communi: *Viu. decis. 323. n. 18. lib. II.* vbi laudat Ludouicum Francorum regem, qui mori maluit, quam ita se a morbo liberare. Ratio est, quia, quomuis intendere sanitatis conseruationem non sit per se malum, tamen intentio mala efficitur, cum ex aliquo sanitas intenditur, quod non est ad sanitatem principaliter ordinatum, sicut si ex sacramento baptismi sola corporalis salus quaereretur, vt dicit *Cardin. a Tur. Crem. in loc. cit. Actius de infirm. c. 44. n. 29. usque ad n. 33. exclusiue refert. Fulgos. in l. fin. ff. de pignor. act.* fuisse Episcopum seruantem castitatem, cui affines et medicus suaserunt p) coitum, vt liberaretur ab aegritudine, et ita sequutum est: cumque fletet et consolaretur ab affinibus credentibus eum hoc facere ex poenitentia

o) conseruationem) Vide doctam *Cel. Krünitzii diss. de matrimonio optimo sanitatis praesidio.*

p) coitum) Quamplurimi nostram eiusmodi medicos procul dubio non desiderabunt tantum, sed praemiis etiam afficient. Sed dolendum, hanc sententiam *Auct.* omnibus profus destitui argumentis,

nitentia delicti; respondit: se non flere peccatum, sed quod citius non inceperat.

CAP. LXXXIV.

Num virgo, ut propriam sanitatem recuperet, possit sine peccato medico id petenti sui corporis copiam facere?

Et non posse colligit ex Episcopo Benzono de *juga lib. I. pag. 100. versic. tertia conclus. Aclius de infirmit. rubr. 49. n. 42. in verbo Iudicis.* nam gravissime peccat Medici, carnalem copulam q) vel simplicem pollutionem consulentes et eis obediens a mortali non excusantur. *Summa Toleti in praec. cap. 13. et 14. De peccato contra naturam.*

CAP. LXXXV,

An pro sanitate possit virgo Deo polliceri iter vel peregrinationem ad S. r) Iacob?

Innoc. in pr. c. Scripturae ex devoto, dicit non obligari, imo etiam verificata conditione putat rectorem loci, cui facta est promissio oblationis, non posse agere ex ea uti illic ita, quia
Simoni a-

q) copulam) Confer hac de re Soranum *Ephesium in Isag. in artem medic. idem afferentem.*

r) Iacob) Scilicet *Fanum S. Iacobi* in Galicia, quod propter peregrinationes celebratur. Peregrinatio autem vi physica propter corporis motum plurimum ad sanitatem conferre potest, neque alia vis requiritur.

Simoniacum dicit esse intendere a Deo, vel Sanctis emere sanitatem, *cap. Student. 1. quæst. 1.* Verum pro contraria sententia contra Innocentium multae rationes adducuntur ab *Abb. in d. cap. scripturae, n. 5. vbi post Hostiens. dicit: Votum valere, nec esse simoniacum, quia omnia sunt Dei, et sic non datur proprium pro sanitate. Ergo cessat Simonia, quae sine expresso pacto non committitur, et cum Deo nullum pactum interuenit, sed solum pollicitatio, et si mentalis attendatur, vix est homo (dicit Abbas, et ante eum Archid. in cap. scimus, circa fin. 12. quæst. 1.) qui pro Deo aliquid faciat et non speret remunerationem, quam ipse promittit secundum opera se redditurum, Matth. XXV. ideo, ne tota Christianitas, quae in huic similibusque votis versatur, simoniaca sit: hæc vltima opinio tenenda est, cum *Abb. vbi supr. vbi Apostill. dat concordantes Ant Arch. Ioh. de Ligu. et Hist. et dicit Archid. Theologos communiter hanc opinionem sequi. Vide Thom. Act. de infirm. Rubr. 45. per tot.**

CAP. LXXXVI.

De planctu virginitatis filiae Iepthæ.

Historia est in libro *Iudicum c. XI.* vbi Iephta victoria contra filios Ammon potitus vovit Domino, quod ex domo eius sibi occurreret, quando cum pace a filiis Ammon rediret, in holocaustum. Redeunti Iephta occurrit filia
vnica

vnica cum tympanis, etc. quae percepto voto patris petiit 2. menses ad plangerendam suam virginitatem. Qualis hic planctus fuerit, quaeritur? s) Num quod virgo et innocens ex voto patris mori teneretur? Videtur id textus innuere, quando dicit: Et virum ignorabat? An autem vere immolarit pater ipsam, dubitatur. Quidam volunt non immolasse eam, sed cultui diuino dicasse: verum textus aliter arguit, primo quia planxerit suam virginitatem, et pater regressae a montibus, fecit illi sicut vouerat. Item: Et erat consuetudo in Israel, vt filiae singulis annis exirent ad plangendum filiam Iephthae, per 4 dies. Tum etiam videtur in iudicibus et regibus quod post magnas res gestas etiam magnam perpetrarunt stultitiam ad evitandam nimiam superbiam. In eadem sententia est *Glycas Annel. part. 2.* Cum vnde mos imponendi, &c. Ier dicit: Deum alios monere volentem, vt non absque consideratione vota conciperent, iugulationem hanc non impediuisset, nam expendere secum ipse prius debuerat Iephtha, fieri fortassis posse, vt vel canis vel asinus, vel aliquid aliud immundum ex indicatione legis animal ipsi primum occurreret. Sed priori opinioni assentitur *Albertus M. de muliere forti c. Res. 20. §. 1. lit. B.* vbi dicit, filias naturae, quae animum et voluntatem ad propa-

s) *Quaeritur*) De hac quaestione interpreteres sacrarum litterarum consulendi, nostro enim consilio aduersatur hanc quaestionem iam discutere.

propagationem naturae ponunt hoc arbitantes optimum indicari, scilicet in filiis et marito significari per filiam Iephta, quae duobus mensibus suam virginitatem fleuit in montibus, eo quod semen super terram non relinqueret. Andreas Osiander in d. c. putat Iephta distinctiue vouisse, ut quicquid primo egrederetur domo ipsius, aut seruitio cultus diuini deputeretur (aut si idoneam sacrificii materiam praeberet, immolaretur.) Sciebat etiam Iephta ex lege, quod etiam inter animalia non omnia rite possent Domino sacrificari: multo igitur minus hominem immolare voluisse videtur. D. Chytraeus super hunc loc. Sentiunt, inquit, aliqui, Ieptham non interfecisse filiam, sed coelibem Deo consecrasset, ut virgo sine marito et liberis seorsum ab aliorum hominum et aequalium consortio reclusa vitam finiret. Circumiens enim filia Iepthae in montibus non amissionem vitae seu mortem suam, sed virginitatem perpetuam, quod absque marito et liberis vidua esset, deplorat, sicut Hannam matrem Samuelis sterilitatem suam, quod nullos Dei cultores procrearet amaris lachrimis defleuisse legimus. Nec in historia dicitur, Ieptham filiam in holocaustum mactasse, sed tantum fecisse ei sicut vouerat, sc. ut virum non cognosceret, sed perpetuam virginitatem t) seruaret. Sunt enim
voti

t) *virginitatem*) Hoc ab exemplo quamplurimum virginum monialium originem ducunt.

voti *Iepha. II.* membra in contextu Hebraeo; Quod egressum fuerit de foribus domus meae, erit domini et offeram illud holocaustum. Quo loco coniunctionem non copulatiuam sed disiunctiuam esse, (vt in dicto; qui percusserit patrem et matrem, pro aut matrem) morte morietur, ostendunt, quasi dixisset Iepha: aut immolabitur domino holocaustum, si eius generis erit, vt immolari possit (homines autem mactare minime licebat) aut si non offerri licebit, erit alioquin Deo consecratum. Et consentaneum est, Iepha de hac difficili causa sciscitatum fuisse sacerdotes domini, qui ipsi nequaquam auctores filiae immolandae esse potuerunt. Denique talem virum, cuius pietatem ac fidem Epist. ad Hebraeos honorifice celebrat, et quem Spiritus Domini rexisse scribitur, tam tetra et abominando filiae parricidio se polluisse verisimile nequaquam est.

CAP. LXXXVII.

De voto virginitatis apud Dardanos?

Cassandrae Templum in Italia fuisse iuxta *u)* Salpem paludem et oppidum Dardanium appellatum autor est Lycophron. In hoc si accolatum quaequam virgo parentum, vt fit interdum
Virgi-

u) Salpe) Ab aliis *Salpà*, *Salpinia* Vibio Seputri. *Salapina* Lucano, fuit lacus Apuliae Daunia, apud Salapiam urbem.

Virginitatis amore, nuptialibus renunciatis votis, siue ob oris deformitatem, aut aliud huiusmodi quippiam sibi traditum perosa virum confugisset, sui posthac erat iuris et inde illam abstrahi inuitam pro summo scelere habebatur, quae postmodum detonsis crinibus et pullas induta tunicas faciemque coloribus quibusdam delinita, quo turpior videretur, per omnem aetatem virgo perseveranter manebat. *Nicol. Leonicus de var. histor. lib. III. cap. 43.*

C A P. LXXXVIII.

Num raptus virginum in choreis a filiis Benjamin possit excusari? Iud. XXI.

Videtur textus excusare ex eo: Non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus, ut acciperent, non dedisti, et a vestra parte peccatum est. Verum non omnia quae referuntur, etiam excusantur, cum sapissime loquatur Scriptura non secundum rei veritatem, sed secundum existimationem illius qui aliquid facit, ut de Razia loquitur *2 Macch. XIV.* qui seipsum interfecit, et tamen Scriptura ex hoc videtur eum excusare, qui ibi dicitur: Eligens potius nobiliter mori quam subditus fieri peccatoribus, ut et in aliis exemplis. De Samfone *Heb. XI.* Samuele *2 Reg. XXI III.* Sic et hic raptus non excusatur a sacra Scriptura, sed ex consilio filiorum Israel, ut habet textus: Coeperuntque consilium, etc. *Numeri ve-*

ro XXXI. Dominus iubet cunctos interficere, quicquid est generis masculini etiam in parualis, et mulieres quae nouerunt viros in coitu iugulare. Puellas autem et virgines feminas omnes reseruare, quantum fuere numero captae 32000.

C A P. LXXXIX.

Quare puellae virgines in via praecedant matres, filii vero adolejcentes sequantur patres?

Communis ratio datur, quod matres certae sint et certiores de suite liberorum quam patres, *l. s. ff. de in ius voc. Dec. in l. imperium. de iurisd.* cum pater incertus sit et iuris praesumptione, *l. filium, de his qui sui vel alien.* non vera et certa probatione ostendatur, *l. Lucius Titius, de condit. et demonstrat.* Hinc Telemachus apud Homerum Mineruae quaerenti, an Ulyssis sit filius, respondit: Mater me quidem ex illo natum dicit, attamen ego nescio: nondum enim aliquis suum ipse nouit genitorem *Odyss. lib. I.* hinc et vulgo quaesiti literis *S. P.* quasi sine patre notabantur, ex quibus deinde propter initium congruus Spurius dicti sunt et mulieri praegnantem se asserenti creditur, ut tradunt, *Id. ad reg. iur. si quis praegnant. 187. de Reg. iur. et notat Angel. in l. illud per gl. ibi si pars haered. pet.* et creditur matri dicenti suum filium legitimum, *not. in l. fin. ff. de probat.* cum secundum *l. cum in l. si miles, §. defunct.*

ff. ad l. Iul. de adult. mater possit esse adultera et nihilominus filium legitimum habere ex marito. Et mater est certior patre, *Instit. de success. cogn. §. vulgo.* quod verum secundum *Barthol. in d. l. 4.* nisi in his qui exponuntur ad hospitale, cum eorum etiam mater sit incerta sicut et pater. Secunda ratio potest esse, quod maiori cura obseruent magisque diligant matres liberos suos quam patres, quippe cum matribus dictum sit: Cum dolore natos paries, plus enim filius in procuratione a matre quam a patre accipit, nec aliter sperma hominis quam fides ad citharam, hoc est, quam instrumentum ad materiam esse, existimat Galenus, *ut refert. Socin. in cons. col. vers. cum ergo, vol. Iohan. de Lignano in Libell. de amicitia q. Quis magis diligat? fol. 12. col. 3. Anton Vacun. in l. 3 fin. ff. de his qui sui, quos refert Arius Pinell. in rub. D. de bon. mat. p. 2. n. 12. in fin. et sequitur Petr. Gotbofr. in Dialog. de amoribus lib. VIII. c. 8. Gregor. Rolhag. in certam. mascula fem. cap. 3 n. 14. 15. 16. 17.* Tertia ratio potest esse. Quod magis diligant matres filias quam filios propter sexus sui similitudinem. Quarta ratio est, cum maior castitas requiratur in sexu femineo quam masculino, *l. si qua illustr. Cod. ad S. An. Orfician.* maiori etiam cura custodiendae erunt filiae, Vnde et Muson: A filia liberamur difficilis et molestae custodiae. Et Euripides ἀλλὰ θυγάτηρ κτήμαϊς ἐργῶδες πατρὶ, Verum filia laboriosa est possessio patri. Quinta ratio

ratio esse potest, quod grauitas quaedam in comitatu consideratur, grauius autem hodiernis moribus est in eundo satellitum cohortem a tergo alere, quam ante se praemittere. Antiquitas enim et nostri Germani principes et domini praequitabant, seruis a tergo sequentibus, verum cum Imp. Albertus prope Moguntiam ex perfidia & instinctu à suis seruis trucidaretur, mos in contrarium versus est, ut serui praequiritent, Domini vero subsequantur.

CAP. XC

Quare primum praeponatur et distribuatur in mensa cibus virginibus et puellis?

Hocce moris est vbiuis gentium, vt in mensa et in conuiujs primitiae ciborum virginibus a praecisoribus offerantur. Quare? Num quia antiqui sationem frugum inuentionemq omnium leguminum Cereri tribuere? *Natal. Comes in Mytholog. lib. I. c. 14. de Cerere.* Num quia Vesta a Ioue virginitatem perpetuam et primitias omnium quae Diis offerrentur ab hominibus poposcerit? *idem lib. II. c. 1. de Ioue.* Num quod in eo habeatur ratio gloriae virginitatis, quae semper apud omnes gentes magni aestimata fuit? Num quod habitus fuerit respectus ad appetitum illum muliebrem, qui insatiabilis pene est, moraeque impatiens?

CAP. XCI.

Cur Magi praestigiis suis virgines et pueros castosque adhibeant?

Magi x) sane, ut simpliciores sub praetextu pietatis et castitatis magis decipiant, volunt, quod spiritus et Daemones propter similitudinem maxime diligant virgines pueros et castos. Similitudo enim dilectionis est causa, ipsi namque non coeunt, quia nullus Daemon suapte naturalis est vel femina. Vnde inquit Galeotus Mart. de doctrina promiscua cap. 10. Quum Deos placere intendimus, castitatem seruamus, secundum illud:

Hac casti maneant in religione nepotes,

Quod etiam tetigisse Poëta videtur, ait enim

Et spissis noctis se condidit umbris

Apparent divae facies inimicaque Troiae

Numina magna Deum.

Nam Venere praesente (ea namque Deorum et spirituum vñi nem prohibet) nihil viderat. Sic nonnulli Magiam imitantes quum furem in Phiala aquae vel speculo apparentem noscere exoptant, virgunculas aut infantulos impollutos eligunt, ut ea simulacra conspiciant, quae impollutus minime videt. Hisce magicis ineptis olim Didi-

x) Magi) Nostris temporibus Magia illa inepta quam longissime propulsa est. Sed Magia naturalis utique suam tuerur auctoritatem, de qua nuper *Antiochus Tiberti*, Caejenarenfis, elegantem scripsit libellum, v. *Caeti. Brixii de Caejenatibus illustrib.* Lib.

Didium *Julian. Caesarem* delectatam fuisse tradit *Aelius Spartianus in eius vita*. Fuit, inquit, in Iuliano haec amentia, ut per Magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam et quasdam non convenientes Romanis sacris hostias inolauerunt, et carmina profana incantauerunt, et ea quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantando vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit, tumque puer vidisse dicitur, et aduentum Seueri et Iuliani decessionem etc.

CAP. XCII.

Quid significetur per illam p̄cturam, qua unicornu in sinu virginis requiescens pingitur?

In lib. IV, de nat. rer. habetur, quod in deserto, in quo unicornu illud ferocissimum animal in morte hominum grassatur atque ferarum, puella virgo relinquitur. Unicornu adueniens omni ferocitate deposita, casti corporis pudicitiam in virgine veneratur et reclinans caput in sinu virginis soporatur. Virgo manibus apprehenso flexibilem reddit et animo moderatum, ita quod quandoque capitur et occiditur vel ad spectaculum exhibetur. *Cantipr. lib. II. mirac. c. 29. § 32. Isidor. lib. XII. Bart. Anglicus de propr. rer. lib. XVIII. De Rhinocer. Natal. Comes lib. IX. de venat.*

*Virginis amplexum cupiit fera bestia (nam sic
Fama refert) somnumque cupit placidumque
quietem*

*Virginis in gremio optatae somnoque soluta
Funibus inuenit sese vinculisque ligatam.
Seu natura dedit secreti semina amoris
Virginis, atque feruor est atrox innata cupido,
Sive alia est ratio: tamen hac adducitur
arte, etc.*

Hinc frequenter eius captura in templis depicta cernitur. Sed quid per eam picturam hieroglyphici intelligi volunt? Christum eo significatum accipiunt, qui unice potestatis est, quia non potest esse potestas, quae comparatur ei, et potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur. Sed illa pulcherrima mulierum Maria virgo stirpis Dauidicae in deserto mundi à filio Dei mediante angelo paranymphe inuenta est, cuius pulcritudinem virtutum et sapientiam et pudicitiam casti corporis veneratus illectus est, et in sinu uteri virginis caput altissimae suae diuinitatis humiliter inclinavit, in quo nouem mensibus soporatus, in tantum a sua ferocitate deflexus est et animo moderatus, ut se capi permitteret et occidi manibus Iudaeorum. Indeque resurgens et ascendens in coelum ante conspectum paterni vultu et ciuium supernorum in gloriam solemnis victoriae, qua contra daemones triumphauit, admirabile voluit spectaculum exhiberi, nisi enim templum Mariae repertum esset purissimum Deus in terris non conspectus, nec cum hominibus

bus versatus fuisset. *Glycas annal. part. 1. C. diei Sexti* creata, ad quod et alludit *Albertus M. in libr. de muliere forti c. Coph. 19. §. 1. lit. FFF. ubi Rhinocer.* id tribuit, quod capiatur in gremio virginis, quia prima veritas descendit in uterum virginis.

C A P. XCIII.

Quid significetur per X. virgines partim sapientes partim fatuas? Mat. XXV.

Comparat Christus regnum cœlorum Decem virginibus, quæ accipientes lampadas suas exierunt obviam Sponso. Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes, sed quinque fatuae acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum, prudentes vero acceperant oleum in vasis suis cum lampadibus et veniente Spouso fatuae sapientibus dixerunt: Date vobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur. Respondebant prudentes, ne forte non sufficiat nobis et vobis, etc. Per Lampades Lutherus ibi sine oleo intelligit bona opera absque fide, ea extinguuntur, vas olei autem est fides in conscientia in gratiam, quæ facit bona opera, quæ consistunt. Ut autem hic oleum nulla alteri communicat: sic quilibet sua fide viuet. Potius per Lampades intelligerem fidem, utpote quæ incomprehensibilis est sicut ignis. Hinc Christus: Luceat lux ea vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, per oleum utpote tan-

gibile et perceptibile bona opera, ut enim oleum penetrat et conservat lampades, sic bona opera fidem concomitantur. Haec Theologica Theologis relinquo. *Albert. M. de muliere fert C. Res, §. lit. D. et E.* exponit, per virgines sapientes filias gratiae significari, quae et castitatem habent in corde et corpore et habitu et sancta intentione et in humilitate Christo serviunt habentes ducem et vexilliferam gloriosam Dei genetricem, et filium eius agnum immaculatum. Per virgines fatuas significari filias legis, quae timore et vana intentione non Deo, sed laudi serviunt timentes vituperari ab hominibus, si votum castitatis, quod voverunt, irritum facerent,

C A P. XCIV.

Quid per perpetuam virginitatem Minervae antiqui fabulose significare voluerint?

Dea Minerva semper virgo fuisse creditur: hinc *Homerus* in hymno in *Venerem* de virginitate eius:

— *Minervae*

Aurea non illi Veneris sunt munera cordi:

Praelia sed placuere, feri sed munera Martis.

Et dicta illa fuit ab *Aegyptiis* sibi perpetuam virginitatem indixisse, quia praestiterit temperantiam. Haec semper virgo existimata est, quoniam voluptates omnes gravissimae sunt sapien-

pientiae adversariae ac Venus praecipuae, quae
 memoriam, bonitatemque ingenii maxime de-
 bilitat. Et Minerva, quae purissima est pars
 aetheris, e qua nulla nascuntur animalia, cum
 perpetuam obtinuerit virginitatem, Vulcanum
 amore sui captum repellit, qui semen in terram
 effundit ac inde monstrum nascitur, ut fabulan-
 tur antiqui de Vulcano. Quid hoc est portenti?
 Natura illa aetheris superioris ad inferiora usque
 corpora ita pura non descendit, sed calor ille,
 qui generationem adiuvat, impurus est et in
 materia crassa commistus, quare semen Vulcani
 in terram decidens multiplicia gignit animalia,
 quae res per variam Erichtonii formam indica-
 tur, turbulentus enim ignis et in materia com-
 mistus ubique Vulcanus est intelligendus, qui ap-
 tus est rerum generationi.

CAP. XCV.

*Quid per perpetuam Dianae virginitatem antiqui
 significare voluerint?*

Fingitur *Diana* ab antiquis, quod mares
 omnes averſata fuerit, quia viderat quae passa
 erat mater, cum obstetricata est, impetravit ergo à
 patre Iove, ut perpetuam virginitatem servare
 posset, ut apparet ex his *Callimachi carminibus*.
 Δὸς μοι Παρθενίῳ αἰώνιον ἄππα Φυλλάσσειν
Da mihi perpetuo ut sim virgo, da pater alme.
 Homer. in hym. in Venerem.

*Dianae baud potuit mentem pervincere amore
Atma Venus.*

Cum virginitatem perpetuam seruare, viis ac portibus praesse, a tot Nymphis locus obseruari impetrasset à Ioue, in Iyuiis perpetuo serè degebat, vt marium consuetudinem deuitaret, quare et Venatrix dicta est et nemorum atque montium custos existimata, vt ait *Horat. lib. III. carm.*

Montium custos nemorumque virga

Quae laborantes utero puellas.

Ter vocata audis adinisque letbo

Diua triformis.

Praefecta fuit praeterea parturientibus, vt intelligeret, quantum malorum cumulum deuittasset, cum virginitatem expeziuit, vt licet ex his Callimachi versibus intelligere, ubi se nunquam in urbem adituram dicit, nisi cum a parturientibus vocabitur.

Urbes accedam solum ac summa tecta virorum,

Pressa dolore gravi nisi cum me femina partus

Auxilio arcesset.

Multiplex denique officium fuit Dianae, quippe cum virgines pertaesae iam virginitatis vt eius Deae, cuius haetenus in tutela fuissent, iram deuitarent, consueuerint in canistris sacrificia ad Deae templum deportare eius numinis veniam postulantes, quod à Graecis γ) *κωνηφορεῖν* diceba-

γ) *κωνηφορεῖν*) De iis sic *Perott.* in *Corn. Cop.* p. 1144.

Canephora mulier appellatur quae fert canum,
id

dicebatur, neque eos canistros nisi illae ferebant, quae ad nubilem aetatem peruenissent, de qua consuetudine meminit Theocritus in Pharmaceutria. Denique cum ita uterus excreuisset gravidis puellis, ut sueta zona uti amplius non possent, eam zonam mos fuit in templo Dianae λυσιζώνης cognomento zonam z) soluentis scilicet quo fuit apud Athenienses, deponere, quare postea dictum est, zonam soluere, pro eo quod est gravidam fieri, quod patet ex his carminibus Apollonii lib. I.

*Prima soluta mihi est postremaque zona, quod ipsa
Invidit multos natus Lucina misellae.*

Mos fuit apud Plateenses, antequam nuptias celebrarent, Dianam cognomento Eucliam placere sacrificiis, quod cum esset virgo putaretur habere odio matrimonia, de qua consuetudine meminit Plutarchus in Aristide. Sed haec fabulosa de Diana. Sentia vero explicantur: Virginem dixere, quod Veneris usus obsit plurimum huiusmodi hominibus cum illorum natura venationibus aliisque exercitationibus naturalem calorem adiuuantibus maximè conferuetur ac vigeat.

CAP.

id est, qualum, quod est cistae genus. Eiusmodi in gemmis et nummis non solum conspiciuntur sed et imagines in multis Italiae urbibus hodiernum.

z) *Zonam*) Videlicet ad ritum quo mulieres de primo puerperio cingula Dianae consecrabant, respicitur. Vide Bartholinæ Antiquitat. puerperii.

- C A P. X C V I.

Quid per perpetuam virginitatem Vestae antiqui indicare voluerint?

Ferunt antiqui Poëtae: Iouem Vestae proposuisse, per quam adeptus erat imperium, ut quod mallet, eligeret: ad hanc prius virginitatem poposcisse, deinde primitias omnium quae diis offerrentur ab hominibus, Aristocritus lib. II. Aristophanes in Vespis. Sed quid per Vestam intellexere veteres? Hocce. Duae creditae ab antiquis Vestae, per antiquiorem Saturni matrem terram, at per iuniorem ignem purum aetheris significarunt: ut testatur Ouid lib. VI. Fast.

Vesta eadem est et terra subest vigil, ignis utrique.

Significant sedem terra focusque suam.

Cum igitur aeternus sit ignis aethereus, iure optimo aeterna fuit vocata Vesta, ut est apud Horat. lib. III. carm.

Ouid lib. VI. Fast. flammam ipsam Vestam fuisse appellatam sensit, ut patet in his:

Nec tu aliud Vestam quam viuam intellige flammam

Nataque de flamma corpora nulla vides.

Diuinus Plato de Ioue in Phaedro.

Magnus sane dux in coelo Iuppiter, volucrum impeliens curram primus incedit, omnia coordinans atque curans hunc sequitur Deorum ac Daemonum exercitus in duodecim partes distributus: ac Vesta sola in atrio Deorum permanet:

manet: hucusque. Quis vero magnus est ille Deus Iuppiter, nisi quem solem appellamus? Is siquidem velocissimum currum impellit, et dum conuoluitur, sequitur illum stellarum exercitus, quae Dii credebantur, in 12 partes signiferi circuli distributarum. Vesta autem siue terrae moles in atrio harum stellarum et in medio mundi immota consistit. Dicitur Iuppiter datus fuisse Vestae educandus quoniam cum animalia et plantae ex terra procreentur, tum crebrior elementorum mutatio sit circa terram, circa quam existunt vapores, à quibus putauit Thales quod aetherea regia aleretur. Hanc Vestam Deam fuisse ignem vel ab initio Romae praecipua religione cultam argumento sunt illa, quae ad Vestalium perpetuam virginitatem pertinebant. Cum igitur terra sola ex omnibus naturalibus corporibus immobilis existens in medio totius orbis sublimis tanquam in aëre consistit, neque in aliquam mundi partem declinat, quare Ouid. lib. VI. Fast.

Terra pilae similis nullo fulcimine nixa

Aëre subiecto tam graue pendet onus.

Ipsa volubilitas libratam sustinet orbem.

*Quique premat partes angulus omnis
absit.*

Hinc merito propter immobilitatem suam credita fuit ab antiquis perpetua virgo, utpote qua virginitate hocce in mundo sublimius quid haud esse potest, in ea enim viuimus nos gloriose, ut etiam Bald. dicit in cap. causam de probat.

num. 17. Hinc et Vestalium virginum ordo apud Romanos perpetuam virginitatem colendo, perpetuum ignem seruabat et custodiebat, eo ipso puritatem et gloriam virginitatis ostentando; hinc malum omen extinctio istius ignis credebatur. Imo in tanto honore habebantur propter votum perpetuae virginitatis Vestales, ut damnatum ad mortem, si fortuito obuenerint casu, liberarent. *Alex. ab Alexand. V. Gen. 12.*

CAP. XCVII.

Quid per virgines illas statuas Pantheon illud Romae sustinentes architecti significare voluerint?

Celebres sunt apud Architectos Columnae Dorica, Ionica, Corinthia, et Composita: ut autem in virgine laudatur forma gracillis, hinc Terentius in *Eunuch. act. 2. scen. 3.* Si quae est habitior paulo pugilem esse uiant, deducunt cibum, reddunt curatura iunceas, etc. Ita in masculo probatur Quadrata. Ad puritatem Deorum, quos cunctos Pantheon illud complectebatur, significandam, architecti virgines, quae illud aedificium suffulciendo sustinerent, supposuisse, dubio procul ad puritatem cordis, quae in cultu Deorum requiritur maxime, respicientes, et vocabantur Caryatides *a)*. Sed notum est

a) Caryatidis) Multae imagines in Museis celeberrimorum Italiae oppidorum has hodie adhuc exhibent, de quibus adeunda sunt Itineraria a viris doctissimis consignata,

est ex Vitruvio, vnde primum Caryatidum vsus in aedificia transferit. Caria, inquit, ciuitas, Peloponesi cum Persis hostibus contra Graeciam consensit. Postea Graeci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viuis interfectis, ciuitate deleta, matronas eorum in seruitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronales deponere: vti non vno triumpho ducerentur, sed aeterno seruitutis exemplo graui contumelia pressae poenas pendere viderentur pro ciuitate, ideo qui tunc Architecti fuerunt, aedificiis publicis designarunt earum imagines oneri ferundo collocatas, vt etiam posteris nota poena peccati Caryatium memoria traderetur. Latius de iis *Ludouicus Demontiosus in libell. Gallus Romae bo-spes in 2. part. p. 2.*

CAP. XCVIII.

De bonis nominibus puellis virginibus imponendis.

Praesumi quemque eo magis niti, quo per nomen sibi impositum quodammodo duci significatur, pulcre et late tractat illustris IC. *Iohannes Ferrarius Montanus*; sanguinis foedere mihi iunctus, quem honoris causa allego, in *praexercitam. iudiciorum lib. II. c. 3.* Magnum siquidem est et pulcro et honesto nomine vocari, proinde *Iohannes Andreas in cap. grauis, de deposit.*

posit. commendat uxorem suam Constantiam, quae dicere solebat: Pulcra nomina filius emi debere, modo alicubi venderentur, et vere. Nam et Iulianus ait: praetorem exigere, ut honesti nominis conditio impleatur, non autem, ea, quae famosae sit et turpis nomenclaturae, *in l. facta. §. si in dando (meo iudicio, §. si vero nominis) ff. ad Scitum Trebel. ubi Accursus quoque super verbo conditio*, de suo nomine oppidum gloriatur Accursius, videlicet, quod est honestum nomen dicit, quia occurrit et succurrit contra tenebras iuris civilis. Et pulcrum esse honesto celebrique nomine appellari, abunde scribunt *Cyn. Satic. et alii in cunctos pap. C. de Sum Trin. et fid. Catbol.* quam et ipsam inter alias causam esse, quam ob rem *P. M.* solent in coronatione sua mutare nomen, *Abbas*, scribitur *in c. cum secund de prehend.* Qua propter si plures sunt deprehensi, qui furti infimulentur aequae suspecti, tunc de eo primum quaestio est habenda, qui turpius nomen habet, quasi ad hoc propensior ad delicta existimetur, sentit *Petrus Gerardi de petra sancta in singul. 75. ad ea quae tradit. Bart. in l. fin. ff. de quaest. addo insignem Fr. Casonum de indic. et torment. c. 13. n. 5. pag. mihi 82. Angel. in summa Anglica in verbo Argumentatio, §. 3. per tot. attingi et ego in proemio Institut. ad vocabulum Pius.*

CAP. XCIX.

*Qui fiat, quod lis sit cum forma magna
pudicitiae.*

Disputauit hanc quaestionem ienae *And. Schaefferus* seqq. *causis* 1. 11. 1. quod mulieres, quae formosiores, plerumque sint praeditae corporibus musculosis, calidis spiritibus et sanguine refertis, quae omnia, quia Venerem prouocent et exstiment, plane non est dubium, N. 8. Tanta vero mollities est et imbecillitas sexus muliebris, ut illam naturae prauitatem et ἀδυναμίαν saepenumero comprimere non possit aut edomare sciat, hinc *Naso* *epist.* 18.

Vt corpus tenerum sic mens infirma puellis.

N. 11. pulcritudinis tanta vis est, ut omnium prope quos habet spectatores, desiderium excitet, voluntatem adiungat, amorem sibi conciliet, hinc *Propert.* *Formosam* raro non sibi quisque cupit.

N. 12. At vero magno cum periculo custoditur, quod multis placet, ut ait *Mimus*, seu ut habet *Hieronymus*: Difficile retinetur quod multi petunt. Bene *Phocylides* κάλλος δυστηρητόν ἐστὶν παίδων τοκερσσι. Et perquam eleganter *Seneca*: Feminae quae malam faciem habent, saepius pudicae sunt: non animus illis deest, sed corruptor *lib.* II. *controu.* 1.

N. 13. Praeterea mulieres, quibus speciem corporis eximiam natura liberaliter indulgit, ob

hoc ipsum nimis superbae sunt et insolentes, adeo quidem, ut sui ipsarum admiratione penitus obcaecatae, nemini non se praeferant, reliquas femellas omnes superciliose despiciant, nequicquam vel Deum vel homines pensi habeant. Inde Ouid.

Fastus inest pulcris sequiturque superbia formam.
Et Menander in Monostichis.

Formosa mulier plena res est superbiae.

N. 14. Secundas formas decent superbiae, ubi vber, ibi tuber, addo: *ubi Helena, ibi Troia, ubi amor, ibi oculus.*

C. 4. num. 19. Quin et hoc certum est, matreculas ab omnibus laboribus et curis domesticis suas studiose submonere et arcere filiolas, metuunt enim, ne forte maciem contrahant et faciei sibi prauitatem afficient, si vehementius sibi cordi rem familiarem patiantur: formam enim corporis assiduis minui laboribus et corrumpi pronunciat Philosophus lib. VIII. polit. n. 20. Ast homines nihil agendo male agere discunt; et amor ad illos, qui perpetuo torpescunt et liquefcunt otio, nec quicquam operis moliuntur, non aliter quam ad flammam naphtha transcurrit. Hinc Ouid lib. II. de amor. in Octau.

*Quam platanus riuo gaudet quam populus vnda,
Et quam limosa canna palustris humo:*

Tam Venus otia amat. —

Otia dant vitia.

Et Seneca: *Vis magna mentis, blandus atque animi calor Amor est iuuenta gignitur luxu: otio nutritur inter laeta fortunae bona.*

N. 23. Vt autem amor illis, qui Acheloia pocula boni consulunt et vix atrum panem habent, quem ex hesterno iure famelici deuorent, nihil fere molestiae creat, et negotii faceffit, ita ingluuie, luxu et temulentia velut oleo, pice, sulphure flamma libidinis fouetur, alitur et augetur. Vinum enim, quod ait Aristophanes, Lac Veneris, quae sine Cerere et Baccho friget. Et perquam celebris est illa veterum combinatio quadruplex. *Periclitatur castitas in deliciis. Humilitas in diuitiis. Veritas in multiloquio, Probitas in negotio.*

N. 25. Accedit quod feminae, quae formae lucentia conspicuae sunt, litteris b) dent operam, et cum alia scriptorum genera serutentur, tum etiam inter ea libellos contrectent amatorios, historias spurcas euoluant, lasciuiora poëmata perlustrent, quas peccatorum illecebras et occasiones cum non vitent, et libidinum flammis saepe numero corripiantur et infestentur.

N. 26. Accedit quod plerumque ipsis contingit, quod apud Terentium Chaereae, qui fatur se incitatum ad suum illud facinus pictura Iouis qui imbrem aureum demittens in gremium

S 3

um

b) *litteris*) Hanc causam non in vniuersum veram esse edocemur, cum et deformes feminae libellis amatoriis inhiant, eosque deglutire et in succum ac sanguinem conuerrere studeant.

um Danaes consimilem lusum luserat, *act.* 3.
scen. 5.

Verum hae rationes et causae subsistunt ne omnino? 1. non videtur procedere, sequeretur enim formositatem ex sola crassitie esse aestimandam, cum et parvae et graciliores reperiantur formosae. Illa insuper mollities et imbecillitas communis est tam pulcris, quam deformibus. Illud. N. 11. non omni modo procedit: pulcritudo enim causa non est amoris, alias sequeretur omnes teneri amore alicuius, quod non est: sed diuersitas et diuersum iudicium amantium in causa est: sua enim cuique sponso sponsa placet, etiamsi fiet deformissima; latius de hac causa egi in *Linea Amoris*, c. de visu. N. 12. Conceditur, et deformes si placent ut placent, suis, difficulter custodiuntur. N. 13. Etiam superbiunt deformes seque haud minus pulcras somniant.

N. 20. Commune est illud, male agi nihil agendo tam deformibus, quam pulcris.

N. 23. Luxus itidem ingluuies, temulentia commune quidpiam est tam deformibus quam pulcris, modo suppeditet Plutus.

N. 25. Pro ratione facultatum et honorum itidem commune est deformibus ac pulcris, dare operam litteris, incidere in turpes lectiones, etc. Duceo igitur famam illud malum maxime in culpa esse desiderii illius, quo pulciores minus castae

castae laudantur. Vbi etenim prae aliis pulchrior quaedam virgo inuenitur, omnes de ea colloqui, plerique eam insectari, plerique eius amicitiam adfectare, pudicitiam eius attemptare, et postea minime ea potiti, increpare, conuicta in illam conuicere, tanquam minus castam criminari, et nescio quid de ea in vulgus spargere, hinc vulgus pulchram minus castam credit, litem illam pudicitiae cum forma affirmat, ideoque si qua fiet pulchra, facilius in suspicionem incidit.

CAPVT. C.

De virginum vestitu olim.

Zona mulieres olim induebantur; Vnde *ἑυζωνοί* dicuntur a Poëtis. Virgines quidem tanquam propugnaculo et tegmine pudoris utebantur, vnde Soluere zonam pro eo, quod est virginitatem eripere. Porro virginibus olim eiusmodi erat vestium vsus, quas a re ipsa *Φαινομηριδης* appellabant. Quales etiam nunc spectamus in Nympharum picturis, quibus brachia detecta femora quoque apparent. Eius vestis originem inde ductam puto, quod per initia caprinas pelles ad lumbos vtrinque ciuxerint ab humeris nodatos corio crurum anteriorum. *Scalig. ex Th. Zuing.*

CAPVT L L

Urbes perquam celebres à virginibus nomen sortita

Athenae c) ciuitas totius Graeciae clarissima nomen ducit ab Athi Granici regis filia: quae in praesentiarum mutato rerum cardine Cethina dicitur in perexiguum vicum redacta.

Corfica a Corfica muliere, cuius taurus, cum ex continenti Insulam tranisset, nomen quod habet retulit.

Campaniae illa vrbs celeberrima, Neapolis hodie quae dicitur, primum Parthenope fuit appellata, quo nomine vna Sirenum fuit, editiore in colle ad vltimum maris sinum ibi sepulta, perinde vt et ab alterius sepulcro *Leucosia d)* dicta est. Quae sane vrbs postea quam frequentius habitari cepisset: veriti Cumani (quos ex Chalcide et Cumis ortos Phytheculas primum sedes tenuisse: dein Cumas in Italia condidisse, Strabo memorat) ne patria sua desereretur, Parthenopes iterum destruendae consilium cepere, quo facto non ita multo post, immani grassante pestilentia oraculo moniti, vt nouam urbem instaurarent, longe splendidius eam refecerunt, et ex verbis oraculi arrepto nomine Neapolim id est, nouam urbem appellarunt.

Gaieta

c) *Athenae*) Haec vrbs a Cecrope condita, potius a Minerua quae ibi colebatur nomen accepit.

d) *Leucosia*). Festus contra ab Aeneae consobrina ibi sepulta hoc nomen eam accepisse testatur.

Gaieta celeberrimus Campaniae portus ab Aeneae nutrice sic nominatur.

Lavinium ab ipsius Aeneae vxore Lavinia sic dicta.

Virginium est arx in Vngaria, quae est sexta Italiae regio.

Virgium est oppidum in Liguria Transpennina, quae est nona Italiae regio procul dubio ambae a virgine nominatae.

In Germania ad Albin est Metropolis Magdeburgum a virgine sic dicta. Venerem namque ibi coluere antiquitus, ut etiam num gestat in insignibus virginem cum serpo super Burgo.

Est et montana vrbs Mariaeburgum, a D. Maria nomen sortita: altera Mariaeburgum in Borussia, etc. Iohannes Olorinus in Ethograph. mundi parte poster. pag. 43.

Et solent hodie vrbes, oppida, castella, arces, et fortalitia, quae nondum hostium vi oppugnata et capta fuere, adhucce virgines appellari.

CAPVT CII.

De stirpibus, plantisque a Diuis vel sanctis virginibus deuominatis.

Barbarea e) vulgo) S. Barbarae herba a virgine sic dicta. *Tragus lib. I. c. 32. Lonic. lib. V. c. 197. Ryffius in Dioscor. lib. IV. c. 28. Fuchsius hist. c. 285. Dodonaeus histor. Gall, lib. I, c. 61.*

S 5

Har.

e) *Barbarea*) *Sisymbrium* Linn.

Harchius in Enchirid. pag. 253. Fauardus in Gale. de stirp. lib. VIII. c. 167. Historia general. p. 650. Gesn. de col. stirp. fol. 62 Thalius in Hercinia p. 80. Toxites in Onom. Philos. pag. 261.

S. Catharinae f) herbae) Al. Balsamina femina. In Italia Balsamina altera *Anguillara epist. 23. Lonic. lib. V. c. 178. Dodonaeus hist. Gal. lib. II. c. 83. Ryffius lib. III. c. 58. Herbarum imagines Egenolphi p. 178.*

S. Clarae herba) *Lobd. in Icon. et herb.*

S. Guyteriae herba) *Clusius in histor. Hisp. lib. II. c. 65. Histor. gener. lib. V. c. 5. Iohan. Bauhinus.*

S. Helenae radix) *Clusius in descr. peregr. stirp. p. 32. Catalogus Francof. p. 64. histor. general. pl. lib. XVIII. c. 46.*

S. Kunigundis herba) officinis eupatorium. *Tragus lib. I. c. 165. Matthiolus in histor. Germ. lib. IV. c. 41. Toxites in Onom. Philos. 219. Fuchsius hist. c. 101. Schwenck. in thesaur. Pharm. lib. I. p. 10. Lonicer. lib. V. c. 277. Amatus in Dioscor. lib. IV. enar. 61.*

S. Mariae arbor. S.) *Luminare malus Iacobi de Manliis sup. Vng. de artbanita. f. 58.*

S. Mariae calceolus) *Dodonaeus hist. Lat. Pemp. 2. lib. I. c. 22. p. 180. Clusius in Pannon. lib. II. c. 32. p. 2-3. histor. general. lib. X. cap. 29. Gesner. de col. stirp. f. 64. p. 2. Wirkung. in iudice. Winkler. in chron. stirp. initio, Dodonae-*

us hist. frum. c. 91. Fuchsius histor. c. 201. Toxites in Onom. Trog. lib. II. c. 3. Reformat. Worm. sect. 1. fol. 31.

S. Mariae Carduus) *Toxites* in Onom. Phil. p. 354. Fuchsius histor. cap. 16. Reformat. Worm. sect. 1. pag. 25. Frischlinus in Nomenclat. cap. 32. Apollo rad. 1. sup. Elbamech. fol. 106. Eucharius Roslin. in herbario Germanico anni 1533. fol. 121. histor. general. lib. XIV. cap. 22. Harchius in Encherid. simplic. pag. 241. Amatus in Diosc. lib. III. enarrat. 7. Gésuec. de hortis fol. 251. pag. 2. Cordus in Dioscor. lib. III. cap. 10. Matthiokus lib. I. Epist. Anguillara epist. 8. p. 151. Fauardus in V. Galen. de simp. 11. Job. Agricola de med. herbarum lib. I. Catalogus Francof. p. 18. Lonicerus in histor. lib. V. cap. 26. Tragus lib. II. cap. 107. Aduersaria pag. 166. Camerarius in herbario p. 35.

S. Mariae chirothecae) *Histor. general. lib. VII. cap. 10. Alysius Mundella in exam. simp. Ruellius lib. III. c. 37. Cornarius in Dioscor. lib. III. cap. 43.*

S. Mariae Clauis) *eadem herba cum S. Mariae calceolis.*

S. Mariae flores) *Cordus in Dioscor. libr. I. cap. 7. Catalogus Francof. pag. 65. Frischlinus in Nomencl. cap. 31.*

S. Mariae fumus) *Clusius in Pannon. lib. III. cap. 34.*

S. Mariae herba) *Luminare Maius Iacobi de Manliis in Martiaco hist. gen. lib. V. cap. 48.*

Dodonaeus hist. Gal. lib. I I. cap. 62.
Fuchf. hist. cap. III. Anguillara epist. 13.
Coldombergius Ruellius lib. I. c. 32. Cordus lib.
II. c. 191. Lobel. obseru. pag. 174. Cornarius in
Dioscor. lib. II. c. 147. Toxites in Oncom. Phil.
p. 378. Pand. mor. c. 354. Caesalpinus de pl. lib.
XII. c. 12. Matthiol. in comment. in Dioscor. lib.
III. c. 35. hist. gener. lib. V. c. 50.

S. Mariae lac) *Dodonaeus hist. Gal. lib. I.*
c. 83. Caesalp. de pl. lib. XIII. c. 31.

S. Mariae lachrymae) *Amatus Lusitanus in*
Dioscor. lib. III. c. 155. Clusius in hist. lib. II. c.
100.

S. Mariae lilia) *Gesner. de hortis, p. 247.*

S. Mariae Linum) *Schwenck. in thes. Pharm.*
lib. I. c. 13. Matthiolus in histor. Germ. lib. IV.
c. 117. Dodonaeus hist. Gall. lib. I. cap. 53.

S. Mariae manus) *Cardiaca Lonic. lib. V.*
cap. 227.

S. Mariae Mentha) *Matth. in histor. Ger-*
man. lib. V. c. 36. Eucharius in herb. fol. 139.

S. Mariae pallium) *Harcbius in Enchir. simp.*
p. 232. Catalog. Francofurt. Matthiol. in hist.
Germ. lib. IV. cap. 109. Tragus lib. I. c. 184.
Fuchsius hist. c. 234. Dodon. hist. Gal. lib. I. cap.
96.

S. Mariae pyra) *hist. gen. lib. III. c. 7. Gesn.*
de hort. fol. 282.

S. Mariae Rosa) *vulg. Rosa Hierichuntina Cae-*
salp. de pl. lib. II. cap. 23. Lonic. lib. V. cap. 329.

S. Mariae Sigillum) *Monachi in Mes. dist. 1. cent. 11. Amatus in Diosc. lib. IV. c. 5. Jac. de Manliis in Lumindri maiori in Triphera Saracena fol. 6. Apollo rad. 1. in dyafatyrio 2. fol. 33. Matthiol. in Diosc. lib. IV. c. 5. Caesalp. de pl. lib. X. c. 49. Fernelius meth. med. lib. VI. cap. 9. hist. gener. cap. 5. lib. XIII. Schwenckfeld. lib. 1. thes. pharm. p. 40. Lobel. obseru. pag. 344.*

S. Mariae stramen) *Winckl. in chron. stirp. Jun. Tragus lib. I. c. 166. Matthiol. in histor. germ. lib. IV. c. 93. Lonicerus lib. V. c. 323. Cornarius in Dioscor. lib. IV. cap. 8. Harchius in Enchir. simp. Amatus in Diosc. lib. IV. enar. 97.*

S. Mariae tribulus) *vide supr. S. Mariae carduus.*

S. Marthae poma venenata) *M. Fucii hist. Ind. occid. general. lib. II. c. 8.*

S. Othiliae herba) *Consolida regalis Toxites in Onom. phil. p. 367.*

S. Virginis chlamys) *Clus. de pl. Hispan. lib. II. c. 19.*

S. Virginis Lilia) *Gesner. de hort. Germ. pag. 247.*

S. Virginis Linum) *Clus. in Pannon. lib. II. cap. 37. pag. 130.*

S. Virginis Mentha) *Clus. in nomencl. Pannon.*

De mari, fluminibus et fontibus a virginibus denominatis.

Hercynna) g) Scripsit Pausanias in Boeoticis, Proserpinam adhuc paruulam ad capiendum anferem, quem inuita de manu demiserat in antrum cauernosum ingressam, quo ansere a lapide, sub quo se occultauerat retracto statim fluuius ex eo loco emerit, qui fuit nominatus *Hercynna*, *Nat. Com. in Mytholog. lib. II. c. 16. de Proserpina.*

Hellepontus) Est Hellepontus angustum mare Helles et Lyandri iuuenis casu nobilitatum Asiam ab Europa septem stadiis tantum distermans. Helle filia regis Atamantis Thebarum, insidias nouercae cum Phryxo fugiens, arietem aurei velleris conscendit, vt eo modo Colchos veheretur. Quos cum per mare ferret aries, contigit vt Helle puella perterrita caderet in Pontum; qui inde sumsit nomen.

Pirene) Famulantur Poetae Dianam per imprudentiam venando Cenchriam Pirenes Nymphae filium interemisse, quare cum Pirene eum lugeret tantam vim lacrimarum profudisse, vt in fontem sui nominis sit conuersa.

CAP.

g) *Hercynna*) Non confundi debet cum *Hercyna* Claudiani, quae erat silua Germaniae maxima.

h) *Pirene*) Fons Acrocorinthi arcis Corinthiae, alias Caballinus fons dictus, suavitate aquarum ad potandum clarus.

CAPVT. CIV.

De Aqua virginis Romae.

Est Romae inter celebres aquas in urbem ductas *Aqua virginis*. Ad ortum eius in agro Lucullano puellae imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur. Agrippa aedilis caput in via Praenestina longe a Roma miliaribus 3, et illa hodie est dicta *Fons Treio*. Restituta a Nicolao Quinto opere arcuato quadrati lapidis, per campum Martium nunc fluit, ex argo Tusculano, qui a Lucullo olim possidebatur. Ouid. lib. III. Fastorum ait: eos qui in campo exercerentur, ea sudorem et puluerem abluisse:

Nunc ubi perfusa est oleo labente inuentus

Defessos artus virgine tingit aqua.

Plinius lib. XXXI. Quantum inquit tacite Virgo tantum praestat Marcia haustu: hanc videlicet bibenti salubrem, illam natanti et leuanti commodam significans. Virgo caeteris frigidior fuit, quod Ouidius scribit III. de arte am. et eandem poetice Liquorum virgineum appellat de Ponto, et aquam Virgineam in Fastis haec etiani Aqua Augusta appellata fuit, ut auctor est aliquot locis Dion. Aquae virginis ductus est ille quem vocat vulgus Ponte de Treio Iud. antiquitate Romae M. Andreae Palladii, cap. 9. de aquis ductis intra Romam, et cap. II. de aqueductibus quos ex Italico in Latinum transtuli, cum Romae degerem. In eius aqueductu marmor inclusum, hunc Iudicem incitum continet.

TIBERIUS CLAVDIVS DRVSI FILIVS CAESAR. AVG. Ductus aquae virginis destinatos per Caesarem a fundamentis novos refecit ac restituit.

In hortulo vero Angeli Colotii antiquitatis viri studiosissimi Tiburtino lapide sculpta huiusmodi leguntur. TIBER. CLAVDIVS DRVSI FILIVS CAESAR. AVGVSTVS GERMANICVS PONTIFEX MAXIM. Trib. Pot. V. Imp. XI. P. P. Col. design. IV. Arcus aquaeductus virginis disturbatos per C. Caesarem a fundamentis novos fecit et restituit.

Aedícula, inquit Frontinus, fonti apposita hanc virginem pictam ostendit. Alii autem virginem appellatam tradunt, quod quaerentibus aquam militibus virguncula vetus quasdam monstravit, quas secuti ingentem aquae modum inuenerunt. Barthol. Marlianus in Topograp. Romae de aqua virginis lib. VI. cap. 15. et lib. VII. cap. 16.

CAPVT CV.

Quid per tres Charites virgines manibus inter se iunctis pictas veteres significari voluerunt?

Templa Gratiarum in medio urbium loco constituebantur, in quibus tres Charites virgines manibus inter se iunctis pingere soliti sunt veteres hac specie, ut vna faciem ad intuentes conuerteret, duae vero reliquae auersam a nobis ad beneficii autorem referrent. Qua imagine, et

et a Deo mutuis officiis homines inter se deuinctos ac copulatos esse, et ad pietatem Deo debitam pertinere gratitudinem erga bene meritos, significarunt, et quidem pro vno beneficio in nos collato geminas a nobis gratias vicissim persolui ac restitui debere. Exsuscitant autem nos ad habendam memori mente et voce declarandam bene meritis gratiam, haec sapientissimorum hominum monita et vetustissimae imagines. Nudae igitur figurantur et sine nodis, quia amici animos solutos ac nudos et apertos inter se habere debent. Finguntur etiam iudentes, ut doceamur voluntaria esse debere nostra in amicos obsequia *b)* Iuvenes itidem et virgines et perlucida veste, quia vera amicitia consistit in rebus honestis. Item conuersis manibus in se redeuntes instar chori, qui ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem reuertitur et tunc pulcherrimus est, dum cohaerescit et reuertitur. Hilares sunt, quales esse debemus in dandis, accipiendisque beneficiis. Iuvenes, quia et beneficii accepti gratia et recordatio non debent senescere.

CAPVT CVII.

*Quae Regiones, vrbes, loca, etc. subsint
signo Virginis?*

Inter signa coelestia sextum obtinet locum
Virgo: vt autem secundum Astronomos cuilibet
signo

h) Obsequia) Eo potissimum consilio, vt eorum
animos hilares reddamus.

figno certa subsunt loca inferioris huius mundi, quae a signis magni et superioris mundi reguntur. Regiones virgini subiectae sunt:

Achaia, Assyria, Babylonia, Corinthia, Creta, Graecia, Mesopotamia.

Urbes hae virgini subiectae sunt.

Aretium, Basilea, Brundisium, Corinthus, Cumae, Hierosolyma, Lutetia, Papia, Rhodus, Segnia, hinc veri.

Virgine sub casta felix terraque marique

Est Rhodos Ioniaeque vrbes et Dorica rura

Arcades antiqui celebrataque Curia famae, etc.

CAPVT CVII.

*Quae membra hominis subsint
virgini?*

Secundum Gnosticos et Planetarios virgo in homine tenet ventriculum et intestina. Quando Sol virginem permeat, pulcrum tempus est, humiditates multae in campis. Ipsius virginis signum in vniuersum humidum perhibetur ac tonitruosum, diuisum tamen habetur huiusmodi, vt quae antecedunt, partes sint calidae, corruptionique accommodatae, quae mediae, temperatae, quae vltimae, humentes ac pluuiae: partes vere septentrionales ventosae, quae tamen in austrum tendunt, moderatae, etc. Quando luna in virgine *i)* est, non prodest praedictis membris meri

i) In virgine) Haec quae sequuntur opinioni de planetarum in hominum actiones ac fortunam vi innituntur, quae prorsus nulla est.

deri, siue ferro tangere, nec Venere uti, nec litigare, nec in igne laborare, prodest viduas ducere, emere et vendere pannos, animalia et alia graua, conducere mercenarios, ablatere pueros, peregrinari versus meridiem, tabellarios mittere, cum scribis mercatoribus et artificibus negotiari, societates inire, pueros ad scholam et alia artificia subtilia mittere, aurum et argentum tingere, monetas cambiare et mutuo dare, mercantiam exercere, officia suscipere, arbores inferere, agros colere, seminare et quicquid tellus requirit agere.

C A P V T C V I I I .

*Planeta siue constellatio pueri puellaeque nati
nataeue sub virgine.*

Signum *k*) ipsum virginis sterile putatum est, hinc Graeci dicunt *ἀγενον*: hoc est, infecundum parumque omnino genitale, quin etiam ab artium humanitatis studiis Anthropides vocatum est: efficit enim natos bonos, honestos, verecundos, delitiosos, litteratos, eruditos, mysteriorum atque arcanorum gnaros, computatores rationales, dispensatores, morum institutores, scribas, negotiosos, curiosos, quae virtutes hominum sunt propriae. Quin etiam ut hominis ipsius initia acrumnosa sunt, etenim infas cum

T 2

pri-

k) *Signum*) Calendaria nostra eiusmodi disteriis adhuc plena sunt, quae femellis quibusdam et plebi adhuc placere interdum solent.

primum terram attigit, in fletum prorumpit: sic, qui nascente virgine in lucem veniunt, primos vitae annos difficiles ac sollicitudinis et laborum plenos exigunt: post vero aetate progrediente fructus vitae vberes consequuntur cum honore et laude. Iohan. Iouian. Pontan. de reb. coelest. lib. V. c. 9.

Puer natus intra 15. Augusti et 14. Septembris est naturae et proprietatis signi Veneris complexionis Mercurii: melancholicus, siccus, femineus, communium sensuum, pulcri capitis et faciei, brevis frontis, simplicis nasi, acuti visus, longi corporis, pedum canonicorum, morum probatorumque, brevis irae, sapiens, durus in verbis, honestus, purus, facile ad quaeuis mouetur, facile credit: post mediam aetatem exsurgit.

Primus genius fortunae eius est simplex et timidus. Summam fortunam innuunt ipsi Regiones Meridionales et Occidentales, Septentrionales sunt mediocres, non adeo infortunatae. Ast a Solis ortus cardine sibi caueat, hic minatur ei infortunium et periculum vitae.

Omnes colores sunt ipsi fausti, exceptis spadiceo, viridi, nigro, iecorino, qui sunt infauti et mali ominis. Summa fortuna sunt ipsi Terrae nascentia et omnia aëris, aqueaque, ast omne quod ex igne profilit, siue eo paratur, infortunium minatur: Morbus corporis est.

Carceres patietur, capitis dolore afficietur: aurium, oculorum, cordis, ventriculi, intestino-

rum,

rum, februm, sensuumque tormenta subibit, mortis tormenta subibit, mortis eius signa erunt et causae, siccitas stomachi et ardor capitis.

Puella nata intra praedictos dies, ut plurimum eiusdem naturae erit, est levis cordis, fortunata nimium consultrix, pudica: labor eius in discendo multa subtilia. Post multa tentamina peruenit ad honores a duobus viris per mulierem, quae proderit ipsi per aliquod tempus irascitur parentibus suis, laesionem in capite sentiet et multa variaque pericula morborum.

CAPVT CIX.

Cur apud veteres signum Virginis vitem auersari credebatur?

Sane prudens attamen 1) superstitiosa antiquitas, quum animaduerneret vinum nimium et immoderatum praecipuum esse nequitiae fomentum, in illa persuasione fuit, signum Virginis vitem auersari. Cauendum enim, ut Orpheus monet, ne Luna signum virginis percurrente vitem seramus, eam enim odio prosequitur ad indicandum virgines vinum, non secus ut virus, fugere et vitare debere: nam qui spiritu impletur, habet prudentiam, verecundiam et castitatem, qui vino, insipientiam, furorem, procacitatem et libidinem. Si igitur virgo nimium vi-

T 3

ni

1) *Superstitiosa*) Quomodo prudentia cum superstitione coniuncta esse possit, ego quidem vix intelligo.

ni sorbet, ab eo absorbetur. Quaelibet igitur virgo aspiciens Lunam signum virginis percurrere sibi imaginetur: hoc est, a vino esse abstinendum, aut si valeat, de collo pendentem lunam, virginem subradiantem ex auro vel argento gestet, quotidianum castitatis suae admonitorem et custodem.

C A P. CX.

Vnde cera membrana et mel virginis dicatur?

Vt puritas virginitatis semper summo in honore habita fuit, sic omnia prima et primitiae rerum puriores quodammodo censentur et reputantur. Hinc mel, quod primitus apes mellificant, ut et cera a sua puritate et integritate Mel et Cera virginea nominantur, ut et membrana ex iuenculis, etc. consecrata membrana virginis dicitur.

C A P. CXI.

Virgines laudatae in Sacris.

Quanquam, ut superius dictum, magna sit illis cum forma pudicitiae, tuerunt tamen quaedam mulieres sanctae et pulchrae exterius, et tamen non vanae, quia pulcritudinem suam mundo in concupiscentiam non ostenderunt: hinc laudat sacra pagina a pulcritudine filias hominum, Gen. VI. ibi: videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae sumserunt sibi uxores,

res, de quibus latius egi in *libel. de Gigantibus cap. 3. §.* Laudatur et a pulcritudine *Rebecca cap. XXIV.* ibi Rebecca puella nimis decora, virgoque pulcherrima et incognita viro. §. Laudantur et a pulcritudine filiae Iobi *cap. ult.* ibi non sunt autem inuenta mulieres speciosae sicut filiae Iobi in vniuersa terra, quae appellatae sunt Dies et Cassia et Cornu sibi, siue cornu conuersionis; quibus nominibus voluit Iob consignare memoriam vtriusque fortunae suae prosperae et aduersae *Glos. ibidem. §.* Laudatur et a pulcritudine Iudith ista heroina. *Iud. c. X.* ibi. Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, et ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret, itidem considerabant faciem eius, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulcritudinem eius mirabantur nimis, §. Laudatur et a pulcritudine Virgo Regina Esther, *libr. Esther capite secundo* ibi. Esther pulchra nimis et decora facie: itidem erat formosa valde et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

Laudatur et in *cap. I. libri Esther* reiecta et repudiata illa regina Vasthi a pulcritudine ibi. Erat enim pulchra valde et praecepit rex Ahasuerus, vt introducerent eam, vt ostenderet cunctis populis et Principibus pulcritudinem illius.

A pulcritudine toties commendat sponsam suam Salom. in *Cant. cap. I.* Nigra sum, sed

formosa. O pulcerrima inter meliores! pulcræ sunt genæ tuæ, sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Ecce tu pulcra es amica mea, tu pulcra es, oculi tui columbarum, c. II. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, cap. IV. Quam pulcra es, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus later. Tota pulcra es amica mea et macula non est in te, c. 6. Pulcra es amica mea, suavis et decora sicut Ierusalem. Pulcra ut Luna, electa ut Sol, cap. VII. totam commendat a gressu, ab umbilico, ventre, collo, oculis, naso, capite et coma, etc. quæ omnia mystica sunt plenissimum incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam, et vicissim sponsæ erga Christum sponsum continent argumentum. Maxime autem commendatur et supra omnes alias B. virgo Maria, quæ ante partum, in partu et post partum *m*) mansit virgo.

C A P. CXII.

Virgines culpatae in Sacris.

Increpantur in sacris filiae illae duæ Lothi ob incestum cum patre commissum, *Gen. XIX.* §. Redarguitur Dina filia Liae ob curiositatem, quod egressa fuerit, ut videret mulieres regionis

m) partum) Ex sententia videlicet Pontificiorum, quæ tamen argumentis firmis ac evidentibus destituitur.

nis illius, et sic raptum et stuprum perpessa fuerit, *Gen. XXXIV.* §. Culpantur negligentiae quinque illae virgines fatuae, quae acceptis lampadibus non sumserunt oleum secum, et sic nouissime venientes exclusae sunt, *Matth. XXV.* §. Redarguitur etiam saltatrix ista puella filia Herodiadis, quae praemonita a matre pro pretio iurato promisso, postulauit caput S. Iohan. Baptistae, *Matth. XIV.*

CAP. CXIII.

Virgines laudatae ab Ecclesiasticis historicis.

Virginum laudatorum ob martyria et confessiones ab Ecclesiasticis Scriptoribus numerum exhibent *Fasti Ecclesiae Legenda Sanctorum*, quarum cum tantus numerus sit vt nimis longum foret eas omnes hic recensere, beniuolum Lectorem eo remitto. Carolus enim Magnus cum omnium sanctorum numerum colligi iussisset, ad singulos fere dies ultra 300. inuenit, ob id institutum est Festum *omnium Sanctorum*, et in eius festiuitate octauo cantatur de virginibus, et lectionem de virginibus legit vnus ex pueris, Octauum etiam responsorium dicunt de virginibus, scilicet. Audiui vocem quod cantatur a quinque pueris coram altari B Mariae virginis, n̄ fuerit ibi, Candelas in manibus tenentibus, ad praesentationem quinque prudentum virginum lampades ornatas et accensas habentium. *Guil-*

helmus Minatensis Episc. in Rationali diuinorum officiorum lib. VII. De festo omnium sanctorum p. mibi 254. et lib. VIII. de virginibus p. 262. §. Non minimum numerum sanctorum et canonizarum virginum vnica historia S. Vrsulae testatur, quae 11. millia n) virginum in turbâ sua sociâ habuisse praedicatur. Goltwurm. in fast. Eccles. fol. 281. §. Et virgines sanctae sub Imp. paganis acerbissima tormenta et martyria sustinere vt sancta Domicilla, Margarita, Catharina, Agnes, Caecilia, Agatha, Lucia, etc. de quibus Basil. Gradi de Ragusa, in tract. Della virginita, cap. 20. §. Habuit et Philippus vnus ex XII. Apostolis duas filias, quae in virginitate consenuerunt. Et altera filia eius, quae in spiritu sancto conuersata est, Ephesi quiescit. Lucas in Actis Apost. sic: Venimus Caesariam et in domum Philippi Euangelistae ingressi, qui vnus erat ex septem, mansimus apud illum. Erant autem huic quatuor filiae virgines prophetantes. Eusebius hist. Ecclesiast. lib. III. cap. 31.

CAP. CXIV.

Virgines laudatae a profanis Scriptoribus.

A speciosa forma prae aliis maximopere commendatur Helena illa Troiani belli et excidii prima.

n) 11. millia) Ex nominis erronea permutatione Undecimilla Virg. vndecim millia virgines originem traxisse constat. Ex inscriptis male descriptis eiusmodi portenta opiniorum saepissime oriuntur

maria causa. §. Apud celeritatem et celeritatem cursus laudatur Atalanta, quae corporis viribus et celeritate pedum non solum feminas sed et homines anteibat. *Nat. Comes in Mythol. lib. VII, cap. 8. de Atalanta.* §. Laudatur et ab eruditione filia Accursii. §. Laudatur et Iohanna Lotharingica illa virgo a fortitudine, de qua superius. §. Laudatur summopere ab utraque militia Elisabetha illa Angliae regina, quae post diuturnum regimen in viuis desit esse §. Laudatur a seruata virginitate Kunegundis Henrici Imp. coniux §. Celebratur et Virginia virgo, quam pater Virginius Icilio uxorem desponderat, quamque Appianus vnus ex decemuiris vitare tanquam seruam satagebat, ob idque patre perempta. Historiam enarrat Linius, cuiusque indubitata fides facit multae antiquitatis marmorea tabella cum huiusmodi inscriptione Romae in S. Maria Monticelli extante.

D. M.

Virginis filiae meae carissimae Virginia nimiam ob pietatem propriis meis manibus interemptae, proh dolor, quantum fuit carissima in anno XVI. iuuentutis eius menses. V. D. III.

Hodierno seculo vigent laudibus stupendae eruditionis Elisabetha Westoniae Anglica virgo, quae carmina ad imp. Rudolphum et alios doctissimos viros scripsit et Iuliana Morella Barchin. virgo, quarum superius honestam facimus mentionem.

 C A P. C X V.

De Sibyllis virginibus diuinantibus.

Dicit S. Hieronymus inter gentiles solas Sibyllas virgines donum prophetiae a Deo adeptas fuisse propter virginitatem. Marcus Varro decem ponit Sibyllas in lib. de cultu diuino, hunc sequuti Lactantius, Hieronymus, Augustinus. Ex communi tamen relatione Duodecim numerantur Sibyllae, quae viderunt gloriam incarnationis dominicae et plurima de Christo praedixerunt: vt

Sibylla Persica) *cuius meminit Nicanor in
vita Alexandri M.*

Sibylla Libyca) *de qua Euripides.*

Sibylla Delphica) *de qua Diodorus Siculus,
Plinius, Eusebius, et S. Hieronymus.*

Sibylla Cumaea) *de qua Virgil. lib. VI.*

Sibylla Erythraea.)

Sibylla Samina) *cuius meminit Eratosthenes,
Eusebius, et S. Hieronymus.*

Sibylla Cumana) *alias Amalthea.*

Sibylla Hellepontica.)

Sibylla Phrygia) *alii dicunt Cassandram re-
gis Priami f.*

• Sibylla Tiburtina) *alias Albunea.*

Sibylla Europaea.)

Sibylla Agrippa) *de quibus numero decem tantum est videre apud Lactantium lib. I. c. 6. diuin. instit.*

De carminibus et vaticiniis earum, et an ipsae Sibyllae fuerint salutem consecutae, videat beniuolus Lector *Memorabilia mundi Matthiae Quadi part. 1. de Sibyllis Marquard. de Susannis in tract. de Iudaeis part. 3. c. 1. n. 56. 57. 58. et 59.*

CAP. CXVI.

De puellis Virginibus in mares mutatis.

Contingit interdum feminas in mares mutari: nunquam vero mares viri in feminas o) mutantur, repugnante scilicet natura, quae semper expetit dignius et indigniori resistit, nec fabulosum hoc est, est enim clarissima et vera Hippocratis et Galeni sententia, habere etiam mulieres suos testiculos et genitalia aequae atque viros, atque ob id non minus etiam quam viros castrari posse, quemadmodum eas in Lydia castrari affirmat *Alsiatus in l. Spadonum ff. de verb. sign. et*

p) *feminas*) Cui sententiae repugnare videtur quae Virgil. Aen. VI. v. 448. sq. de Caeneo canit, eum ante obitum in muliebrem rediisse sexum.

et lib. IV. antiq. lect. cap. 10. et XX. c. 14. quamuis in maribus genitalia membra propter caliditatem expellantur, in feminis vero propter frigiditatem intus retineantur. Plures q) ita conuersae leguntur. Hippocrates scribit, Phaetufam Pythaei vxorem in marem fuisse conuersam, barbam, hirsutum corpus, et vocem asperam habuisse. Idemque Namysiae Georgippi vxori in Thasio accidisse. *Plinius lib. VII. nat. histor. cap. 4.* inquit, Licinio Crasso, et Caio Cassio Longino Coss. ex virgine puerum effectum Cassinum appellatum: quod etiam confirmat *Gellius lib. IX. noct. Attic. c. 4* *Liuius lib. IV. secundi belli Punici.* Q. Fabio Maximo et M. Claudio Marcello Coss. ait, Spoleti virum ex muliere factum fuisse. *Lucius Mutianus* prodit Argis vidisse Arescufum mulierem masculum Arifcontem appellatum, euasisse, barbam emisisse ac vxorem duxisse et Smyrnae similem puerum agnouisse. Et in Aphrica nuptiarum die Lucium Cossorium ciuem Tisdridanum ex femina in marem fuisse verum. Amatus Lusitanus Medicus cent. 2. curatione 39. scribit: in Lusitania in oppido Esueica Martham Pachecama primorum menstruorum loco Priapum emisisse, et sic in marem versam virilem togam sumsisse,

Ema-

q) *Plures*) Miror sane auctorem nullam Caenei iniecissee mentionem, de quo Ouid. *Metam* L. XII. v. 172 sq. 470 sq. Hygin. *Fab* XII. 198. Anton. *Liber. Metam.* XVII. Phleg. *Tralliam* c. 5. p. 63.

Emanuelem appellatum, qui ad Indos profectus postea diues et clarus in patriam reuertus vxorem duxit. *Baptista Fulgos. in libro rer. memor. scribit.* Neapoli Ferdinandi regis tempore Ludouicum Guernam ciuem Salernitanum quinque habuisse filias, quarum primas Franciscam et Carolam, cum ad decimum quintum annum peruenissent, virilia emisisse, vnde mutato habitu Franciscum et Carolum fuisse appellatos et pro maribus tractatos: Et idem *Fulgosius* dicit: Sub eodem rege puellam prima nocte, qua cum viro suo concubuit, genitalia membra protulisse, domumque reuertam in iudicio dotem suam repetisse et exinde marem fuisse habitum. De aliis feminis mares conuersis scribit *Marcellus Donatus lib. VI, De medica historia mirabili, vt testatur Iohan. Benedikt. in tractat. de furt. §. animo lucrandi, num. 207. Matthias Quad. in memorabil. mundi part. 1. fol. 46. Gregor. Rothag. in certam. masculino fem. in acie viril. cap. VIII. recenset. Iohan. Pontan. de reb. coelest. lib. X. cap. 5. se vidisse et perquam cognitum etiam ab eruditis viris habere: Caietana mulier viro piscatori nupta, cum quo annos complures Veneris res miscuerat, vt Antonius Panhormita piscatoris amicus referre adolescentibus solitus est, post quartum decimum annum e muliere in virum transit exorto repente in muliebris naturae loco virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet suae, vt qui a viris pariter mulieribusque rideretur, e ciuili vita ad*

vitae

vitae genus religiosum transiit, vixitque in monasterio, in quo ipse eum nouit, vitae suae reliquum, sepultusque est Romae in Mariae ad Mineruam Templo: aliud exemplum idem refert de Aemilia mutata in virum, et addit: Hoc naturae coelestiumque agitationum effectus mirari magis possumus, quam quomodo fiant, eorum rationem sigillatim reddere. *Seuerinus Pinaeus Carnutensis Parisiis in Chirurgia Magister primus plane non credit sexus mutationem, seu filiae in filium conuersionem, in tr. de notis virginitatis Problem. 2. p. mibi 56.* quo beniuolum telego Lectorem.

C A P. CXVII.

Quid portendant somnia de virginibus?

Quamuis somnia fallaci ludant temeraria nocte et pauidas mentes falsa timere iubeant, aliquid tamen diuini) et vaticinii in iis latere, sacra pagina satis superque demonstrat *Genes. XXVIII. Genes. XLI. Matth. I.* Plura alia exempla suppeditant Biblia *Genes. XX. XXXI. XXXVII. XL. LVII. Num. XII. Iud. VII. 1. Sam. III. 28. 2. Sam. VII. 7. Reg. III. 25. Esth. I. Job. VII. 33. Dan. I. II. III. Joel. II. 2. Machab. XV. Matth. II. 27. Act. II. 16.* Sic etiam ex somniis varias obseruationes collegerunt Secreti-

*) diuini) Hinc diuisio somniorum in diuina, humana, et diabolica originem traxit.

cretistae et secretioris Philosophiae perscutatores, ut indicant libelli somniorum et interpretationes eorum. In quibus somnia de virginibus delicias, voluptates et gaudia omniaque laeta portendunt. Amatores enim plerumque somniant amasias, amplexus et oscula blandaque colloquia. *Phil. Melanchthon de diuers. gen. somn.*

CAP. CXVIII.

An omnes fuerint virgines in turba et societate S. Ursulae?

Vt Legenda habet, undecim millia virginum in societate eius numerantur. Verum, cum et iuvenes adolescentes reges in ea cohorte fuerint, ut patet ex bustis in templo S. Ursulae Coloniae Agrip. ad Rhenum, minor autem eorum numerus fuerit, a maiori denominationem sortita est argum. §. *Gallarum, etc. Instit. de rer. diuers.* ut et modicum in S. Scriptura non reputatur: argument. quod Matth. scribit Christum in cruce noluisse bibere: alter vero scribit: *Ecum gustasset, etc. ibique gl.* Unde quamuis totus exercitus numerus Virginum nuncupatur, hoc tamen non est tantum intelligendum de sexu semineo, quia quamplures Episcopi et alii sancti Martyres interfuerunt, qui etiam castam vitam duxerunt, sed propter excellentiam, quia maxima multitudo fuere virgunculae, ideo exercitus Virginum nuncupatur. Potest etiam dici,
 U quod

quod propterea dicitur Exercitus Virginum, quia beata Vrsula fuit informatrix et principalis instauratrix huius sanctissimi exercitus. Hinc est, quod hodierna die in Coemiterio, vbi reliquiae sanctorum virginum requiescunt, nullus potest sepeliri, quia si aliquis sepeliretur, clauso tumulo in crastinum super terram apparet: quia haec terra de corporis sanctorum creditur sanctificata, prout inueni in *passionali S Vrsulae c. de 11. mill. virg. pag. 85. vid. Aubertus Miraeus Bruxell. Canonicus in disquisitione de SS. virginibus Coloniensibus.*

CAP. CXIX.

Expositio l. 6. §. 1. l. 34. in fin. ff. de adulter, §. item lex Iulia Instit. de publ. iudic. ibi.

Stuprum in virginem committitur.

Accurs. ex d. l. 34. §. adulterium 1. (ibi stuprum in vidua vel virgine, vel puero committitur) colligit, stuprum committi ante pubertatem, adulterium post pubertatem tantum ff. ad l. Iul. de adult. adducit. l. 36. C. ibi. (Quoniam tale crimen post pubertatem incipit) sed reprehendit eum ibi Gothofr. lit. M. nam virgo ibi opponitur nuptae, qualis pubes esse potest: et proprie d. l. 36. non loquitur de aetate excusationis a delicto, et dicit: Si minor annis adulterium commiserit, l. Iulia tenetur, quoniam tale

tale crimen post pubertatem incipit. Loquitur ergo in terminis excusationis: nam minores, quamvis alias in delictis beneficio II. excusentur, cum ipsos innocentia consilii tueatur. In hoc tamen crimine utpote graui excusationem non merentur: nulla enim deprecatio adulterii poena est, l. 38. §. ff. de minor. igitur addit. Quoniam tale crimen (non quod tum post pubertatem incipiat hoc crimen committi, sed quod non mereatur veniam etiam a minori perpetratum post pubertatem) inquit, subintellecto tamen: Si nupta fiet minorennis illa; alias est stuprum, ut sup. de quo latius egi in cent. 2. quæst. 13.

CAP. CXX.

Expositio dicti Iobi cap. XXXI.

Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

Simpliciter intelligendo hoc dictum, videtur omnis cogitatio, omnes conuersatio, omne colloquium, etc. cum virginibus prohibita, sic et nullus introitus ad matrimonia ineunda patebit? Verum sincere intelligendum erit de praua in

nobis concupiscentia ~~coercenda~~, *yr. XXXI. M*

Domine Deus, ~~Domine~~ *yr. XXXI. M* factor vitæ meae, custodi me ab oculo impudico et custodi me ab oculis malis, ne patiaris me obbrutescere in crapula et libidinibus, et custodi me a corde impudico. Ideoque foedus Iobi intelligitur pactum cum



oculis ratione pravae concupiscentiae, non veri et sinceri amoris, qui nullibi prohibetur, cum et ipse habuerit uxorem: ideoque fomentis et irritamenta libidinum extra ordinem vagantia sunt fugienda, non vero legitimus et concessus usus *Sir. IX.* Fuge amicas, ne incidas in laqueos ipsarum.

CAP. CX XI.

Expōitio dicti Lichtenbergeri.

Virgines Germaniae ornabunt sese in die festo fertis ex lilio factis.

Inter alia Vaticinia, quae *Lichtenbergerus* edidit et hoc habetur cap. XVIII. quod *Paracelsus* ita in vatic. *Lichtenberg.* interpretatur. Virgines Germaniae sunt illi, qui sunt annunciatores diei festi et festarum, sacrarumque rerum, illi nimirum qui templis sunt dicati: Hi Lilio obligabunt sese, et diem suum festum ornabunt eo, nullos amplius operarios habebunt dies sed liberabuntur, et iterum ad diem festum afferentur. In summa vaticinium hoc est. Scorpionistae, hoc est, hostes Ecclesiae conabuntur Liliū aggređi, ast non vincent, et hicce lapsus Germaniae viris festiuis virga erit, hucusque *Paracelsus*.

CAP. CXXII.

Quae Terra per virginem denotatur?

*En tibi formosae sub forma s) Europa puellae,
 Viuida fecundos pandit ut illa sinus.
 Fidens Italiam dextra Cymbrosque sinistra,
 Obtinet Hispanum fronte geritque solum.
 Pectore habet Gallos, Germanos corpore gestat,
 Ac pedibus Graios Sauromatasque fouet.*

CAP. CXXIII.

Expositio vers. apud Catul.

*Virginitas non tota tua est ex parte parentum est.
 Tertia pars matri data, pars data tertia patri.
 Tertia sola tua est, nolite pugnare duobus,
 Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.*

Sunt Catulli ad Iuliam, ne Manlio sit refractaria. Quæri autem hic posset, quare non tota sit puellae Virginitas, cum ipsa volente seruetur et tollatur. §. Et resp. Totam esse virginis quoad inesse: pater enim et mater nihil faciunt ad virginitatem filiae, nisi quod talem procreent filiam. Parentum ex parte esse, quoad continentiam, quia et parentum interest filiae virginitatem illibatam esse: ideo fecit hos versic. Catullus ad Iuliam, ne fiet refractaria marito suo

U 3

Manlio

s) *Europa*) Quidam tamen non a Virgine nomen deducunt, sed ex lingua Phoenicum, qua notat *γῆν λευκοπρόσωπον*, quod nomen ideo ipsi competere allerunt, quia Europæi Africanos candore faciei multum superant.

Manlio, utpote cui parentes sui iura attinentiae simul cum dote dederint: ideoque nihil aliud innuere voluit, quam totum ius et dominium, quod parentes habuere in filiam, maritum accepisse in uxorem. Cur vero prima pars adscripta fuit matri et non patri, utpote superiori? §. Dubium mouet, nam si, ut ante dictum, maritus totum ius habet in uxorem, cur non etiam primas partes pater habeat in filiam? Posset resp. aliud esse quoad maritum, et aliud quoad patrem. Ille totum ius indiuisum et solus habet in uxorem: hic vero diuisum et ex parte tantum; cum et pars matri, utpote cui cohabitatur pater, debeat ex iure naturae, quo magis matres amant liberos, quam patres. Imo magisque puellas quam pueros maioriq; cura obseruant et custodiunt matres liberos, quam patres, inde fit, cum maius onus in procreando, in vtero gerendo, pariendoque mater sustineat, prima etiam pars quoad attinentiam matri adscribitur, inde nullum praeiudicium inferatur patri, quae enim sunt matris, primo reddenda sunt matri. Secunda demum pars patri, utpote qui praeter agendum, nihil praetera oneris sustinet, adscribitur. Tertia ratio potest esse, quod saepissime inferioris gradus res in ordine praeponantur, quo ex iis maior superiorum dignitas elucescat. Ideoque hic quoad attinentiam sinitas praelata est, et primus gradus matri, secundus patri, tertia et vera sinitas ipsi virgini filiae quoad inesse et illis parentibus pars tantum

tantum competit: filiae vero totum. Simile de facto proponitur in *l. 1. Cod. de dignitat. lib. XII*, ideoque suadet Carullus Iuliae ne refragetur, cum parentes suas partes dederunt genero, et ipsamet Iulia ad domum mariti deducta, suum quicquid habet, marito obtulerit.

C A P. CXXIV.

Expositio dicti.

In virginitate vivimus nos gloriose,

In vera viduitate caste.

In matrimonio pudice.

In concubinato impudice, licet tolerabiliter,

In stupro damnabiliter.

In adulterio damnabilius.

In incestu damnabilissime.

Est dictum illud Baldi in cap. causam de probat. num. 17. In virginitate, inquit vivimus nos gloriose. Quare? num quod ab initio eam nobiscum adferimus, multumque laboris sit eam illibatam conseruare? Sic, ex eo enim quod difficilium maioriq; cum labore conseruatur et custoditur, maior gloria existit. Accedit quod Apostolus 2 Corinth. VII. dicit: Ea quae in-nupta manet, cogitat ea, quae sunt Domini. Accedit can. effatum: Nuptiis terra repletur, virginitate Paradisus. Vt igitur praestat Paradisus terrae, sic maior gloria inde oritur, quum facimus ea, quae spectant ad gloriosiora.

CAP. CXXV.

Expositio Leuit. XXI. cap.

Pontifex virginem ducat uxorem, viduam autem et repudiatam et sordidam atque meretricem non accipiat.

Inter affirmatiua Mosaicæ legis præcepta et hoc ex Leu. cap. XXI. num. 56. legitur. Verum quæ causæ, quod Pontifex virginem tantum ducere debeat uxorem? Nonne maius misericordiae opus in viduam ducendo et meretricem exerceret? nonne secundum Dei præceptum, fratris sui defuncti uxorem ducendo, viveret? Ratio hæc esse videtur. Cum Deus opt. max. purum imo purissimum Ens sit et immaculatum, a puris quoque cordibus et mentibus coli vult, sit ergo sanctus quia et ego sanctus sum Dominus, ibid. per virginem igitur immaculatam puritas mentis, castitas cordis intelligitur. Cum per viduam distractio, per meretricem contaminatio significetur. Ideo virginem ducere tenebatur, et erat allegoria ad Christum, vnum nostrum summum Pontificem et Ecclesiam virginem et sponsam, totam pulchram et immaculatam.

CAP. CXXVI.

*De falso credita cohabitatione puellarum
in Paradiso a Mahometistis.*

A Deo magna semper fuit aestimata virginitas eiusque integritas, ut et *Mahomet in Alkorano cap. 64.* ubi de Paradiso eiusque deliciis retert, formosissimarum puellarum cohabitationem effinxerit. Illic quidem, inquit, credentes accubabunt tapetis sericis, stramentisque purpureis, omnibusque sibi dilectis perpetuo potentur, ducentque puellas formosissimas, ut sunt Hyacinthus et Margaritae, ab hominibus atque diabolis nunquam deuirginatas nec menstruatas. Rationem reddit, si ullum oblectamenti in Paradiso genus isthic deesset, beatitudo minime plena esset. Frustra ergo deliciae adessent, si voluptas deesset. Verum Christi mysteriis et doctrina qui sumus vere imbuti, scimus longe aliam et maiorem ibi voluptatem et laetitiam adesse, quam quae est in cohabitatione puellarum, quam nullus oculus vidit unquam, nec auris audit vlla unquam, ibi enim non amplius nubent aut nuptui tradentur, neque regnum coelorum et beatitudo in cibo et potu consistet, sed gaudium nostrum erit assiduus aspectus faciei summi Dei, laudes et gratiarum actiones etc. ut satis patet ex sacra pagina. Stulte igitur persuasit Mahometes suis Sacracenis corpora glorificata et spiritualia, ut tunc erunt, mundanas istas delicias et praeteritas referre et reuocare, cum haec exercitia spiritus animalis sint.

CAP. CXXVII.

Expositio illius Hierem. Thren. I. cap. Virgines eius squalidae sunt.

Albertus M. in libro de muliere forti exponit de filiabus legis c. Res §. 2. lit. D. quae timore et vana intentione non Deo sed laudi seruiant, timentes vituperari ab hominibus, si votum castitatis, quod vouerunt, irritum facerent, et illae sunt, de quibus hic Hieremias dicit, quia tales semper amaro animo sunt, quia spurcitiam exercere non audent, quicquid enim in corpore et habitu castitatis praetendant, totum per hypocrisim et vanam laudem turpiori stupro exponunt. Istae sunt virgines fatuae, de quibus habetur, Matth. XXV. quarum lampades extinguuntur, veniente Domino ad nuptias. Istae sunt etiam, de quibus dicit Salomon Prouerb. XI. Circulus aureus in naribus suis, hoc est, porcae, Mulier fatua et pulcra: sicut enim porca circulum aureum stercori immergit, ita istae pulcritudinem suam in falsa religione praetendant, luxuria laudis et hypocrisis impiam et inquinatam reddunt.

CAPVT. CXXVIII.

*Exposit. versic. apud Gothfridum Viterbiensem
Chron. part. 9.*

Hunc ego non patiar, dixit Apollo locum.

Albis virginibus vlciscar dedecus illud.

Historia est: cum Brennus profligatis Macedonibus, quasi spolia humana sorderent, animum ad Deorum immortalium templum conuerti, scurriliter iocatus: Locupletes Deos largiri hominibus oportere, statimque Delphos iter vertens praedam religioni, aurum offensae Deorum praeferebat, quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleant, affirmabat. Vindex Apollo: *Albis virginibus* inquit, *vlciscar de decus illud.* Quid sit? Dum Delphos oppugnet terrae motu portio montis Parnassi, in quo templum Apollinis positum esset abrupta Gallorum sternebat exercitum, et confertissimi cuncti non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecura inde tempestas est, quae grandine et fulgure faucios ex vulneribus absumsit. Ipse Brennus cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiuit. Euenitque ut nemo ex tanto exercitu, qui paulo ante fiducia virium etiam Deos contemnebat, vel ad memoriam tantae cladis superesset. Hinc:

*Alpibus ingreditur dux ad Galatas rediturus,
Obruitur niuibus subito casu ruiturus,*

Deperit in niuibus miles ubique suus.

Albis virginibus tunc vltus Apollo patatur,

Dum mediis albis niuibus dux ipse necatur,

Sic responsa Dei vera videntur ei.

CAPVT. CXXIX.

A iuuenē et cupido credatur reddita virgo

Iuuenes in rebus venereis vix continentes
reperiuntur: vnde ortus ille versus *Gl. in l. se
adolescens. ff. mandat.* qua propter contra eos
susplicamur *cap. litteris. Extr. de praesumpt.
Aym. pulcre conf. 321. lib. II. Aelius de infirmit.
lit. I. sum. vlt. et D. Hieronym.* Impossibile est
iuuenem vitiiis carnis non tentari, quem allegat
Vincent. Caroc. de minor. in delict. excus. q. 1.

CAPVT CXXX.

*Num vere inter miserabiles personas reponantur
virgines?*

Reponit *Mench de arbitr. iud. cas. 66. num.
1. et num. 3.* inter miserabiles, ultra infirmos
et senes, etiam virgines *Viuius decis 65. num. 3.
et 5. vt refert Aelius de infirmit. rubr. 13. num. 5.
p. mihi 31.* Ratio, si petatur, quae erit? Num
quod

quod sine tutore existant? Num vero quod cuius suspectae sint etiam ex vnico oculi nictu? Num quod nihil per sese sine suspitione agere queant? Num quod castitatem, qua propius ad Deos accedunt, seruant? Quod verum puto. Verum cum castitatis virtus omnes alias superet, et a Diis summe colatur, non ex eo inter miserabiles personas censerī duco, sed potius exemptas, vt ea ratione iis succurratur. Nam concurrentibus virginibus, cum secundum Actium, inter miserabiles personas praeferatur is, qui maiori dignus est misericordia, vt inter pauperes pauperior ibid. *num.* 12. quae praeferenda erit virgo? Cum vna non magis virgo fiet quam altera, quia, interna virtus est virginitas vt supra.

C A P. CXXXI.

An virgo dici queat sterilis?

Virgo, quae diu virgo fuit, sterilis nullo pacto potest dici, cum sterilis Graece ἀκαρπος dicatur, h. e. infructuosus et infoecundus per priuationem. Ergo praesupponitur potentia, quae quidem potentia concipiendi non est naturaliter in virgine, quamdiu virgo perseuerat. Ideoque praesumptio illa, quo ad partus suppositionem, si mulier, quae dicatur peperisse, diu fuit sterilis, de qua *Soc. Iun. in cons. 90. num.* 19. *vers.* adest etiam *lib. II. et Boss. de partu. supposito num 12. vers.* et ita videtur et *Mascard. concl.*

concl. 1152. receptissima num. 9. vers. alia etiam praesumptio et Menoch. praesf. 24. num. 11. vers. Secunda est coniectura, nullius est momenti in ea, quae diu fuerit sterilis, quae diu fuerit virgo. Dicit Polyd. Ripa in tr. de nocturno tempore rubr. 162. num. 9. 10. 12. 13. 14. 15. et quidem duplici de causa, quarum ea est prior, quia diu virgo non dicitur fuisse sterilis, atque ideo, si longo tempore virgo perseverans tandem viro subiiciatur, inde potius praegnans surrexisse praesumitur quam partum supposuisse.

CAP. CXXXII.

Q. Cui sexui annumerandus Hermaphroditus?

Resp. Ulpianus in l. quaeritur 10. eius sexus aestimand. qui in eo praeualet, ff. de stat. hom. quod si magis incalescit in sexu masculino, pro masculino habend. fac. dictum Bald. in l. fin. C. de suis et legit. ubi vult quod Hermaphroditus, si magis incalescit in masculino, potest succedere in feudo, ad id fac. dictum Bald. in d. l. quaeritur quod si, Hermaphroditus magis praeualet in masculino, tunc excludit feminam, stante statuto, quod masculis extantibus feminae non succedant, hoc idem tenet Baptista de S. Blasio in tr. de arbitr. q. 6. in fin. Sed quid erit dicendum, si vterque sexus aequaliter apparet in eo, ita quod non potest iudicari, qui sexus magis praeualeat? Resp. Quia sexus masculinus praesumitur magis potens argum, leg. si fue-

fuerit. §. fin. ff. de rebus dubiis. Item, quod quis sit masculus, eo magis potens *argum. leg. si fuerit. §. fin. ff. de rebus dubiis.* Item, quod quis sit masculus, est magis dignum: *leg. in multis ff. de statu homin. §. singularum Instit. de rer. diuis.* angelus tamen *in leg. de quib. col. 3. ff. de ll.* dicebat quod Hermaphroditus, si asserit praeualere in masculino, debet id probare quando vult excludere feminam a successione, stante statuto. Sed aduertendum, quod dictum Angeli procedit, quando venit ad exclusionem alterius, et sic feminae, vnde dicendum, secundum *Guilielm. de Cuncto et Albert. in dict. leg. quaeritur*, quod totum stat in electione Hermaphroditi, qui optime cognoscit in quo sexu sit magis potens, et quo velit vti et illo vtatur, quem magis in se praeualere sentit, et cum agatur de conscientia sua, et nullus ita bene scit, sicut ipse, vnde debet stari electioni suae, *not. in §. sed istae Instit. de act. et in l. iuncta l. viduae C. de nupt. hoc Bapt. de S. Blasio in d. tract. de arbitr. p. 6. M. Ant. Blancus de compromiss. q. 2. num. 40.*

CAP. CXXXIII.

Scorpio non tam cito feminas laedit ac virgines.

Tradit *Barthol. Anglicus de propriet. rer. lib. XVIII. cap. 96.* laethali ictu percutere Scorpiones virgines, quando eas feriant. similiter et feminas, sed non tam cito, *Plinius lib. XI. cap.*

CAP. CXXXIV.

Apes non iciunt virgines.

Tradit *Andreas Picus in tractatu de Apib. p. 2. cap. 3.* Apes t) aduersarii impuris et venereis hominibus. Idem, mulieres menstruatae debent sibi cauere ab accessu apium: nam secundum naturam suam impellit mel sanguinem in homine, et si talis aut vulneratus non abeat, mortem expulsionem sanguinis infert, *pag. 4. cap. 1. num. 1.* Rationem adfert idem *pag. 1. cap. 1.* Inter omnia animantia terrae mixtionis exsortes sunt apes, vnde impuritatem in hominibus statim probant, eosque seueriter oderunt.

CAP. CXXXV.

De Virgine serpenti adamata.

Scribunt historici serpentes deprehensos esse aliquando amafios puellarum, omniaque et amoris et nequitiae signa praebuisse. Extat memorabile exemplum apud Plutarchum de serpente, qui Aetolae cuiusdam virginis amore captus, noctu eam adire suetus, puellae corpori circumfusus, hac atque illac illabens, illam nunquam, neque vltro, neque inuitus laedebat,
quum

t) *Apes*) Quae de apibus hic referuntur non ab historiae naturalis amicis, sed a patribus apum nostrorum temporum sunt inquirendae, ad quos harum rerum curiosos selego.

opportuneque sub diluculum recedebat. Quod quum ii, quibus puella curae fuit, intellexissent, eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum et quatrimum non adesse, sed diligenter accurateque circumire, illam quæritans, quam ubi mox inuenit, casu illi obuiam factus, non, uti solitus erat, mitis et blandus, sed asper et horridus in eam insiliit, manibusque primum spira ad corpus astrictis, caudæ residuo scemora flagellabat, leuem quidem iram prae se ferens, sed quæ, licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen aperte demonstraret. Ex hoc constat, non sine causa serpentes veteribus Symbolum fuisse salacitatis et procacitatis. Hinc et Hebraei omnes consentiunt, Diabolum *) Deo permittente plurimum in genitalia et concupiscentiam posse, dicentes allegorice Satanam a Serpente vere ἀλλήγορ. πῶς voluptatem, quæ in Venerem incumbit, significat *Philo*; et Hebraei tradunt. Vnde Araxam formosæ libidinis feminam, cuius *Diodorus meminit lib. II. 3.* fingebant fuisse semiuiperam, humana videlicet forma umbilicotenus, reliqua viperina.

CAP. CXXXVI.

De Aquila virginem adamante.

Exemplum inducitur cuiusdam *Aquilæ*, a pulcerrima virgine educatæ apud Seston urbem

*) *Diabolum*) Somnia hæc sunt Rabbiorum, quæ a sapientioribus et quidem non iniuria irridentur.



urbem, quae quidem permiffa a puella libero coelo, gratias quotidie ei referebat, aues enim primo deinde venatu fedulo aggerebat: atqui quum contrigiffet virginem mortuam efferri, gemebunda fubfifit aquila, postremo in accenfum rogam fe mittens cum puella fimul conflagrauit. Huius rei testimonium affert Plinius, ne videatur res ficta et sine auctore effe, *Fr. Patricius de regna lib. III. c. 7. de aucupio, etc.*

CAP. CXXXVII.

Cur buffo addatur virgini?

Tradit *Erasmus in colloq. peregrinatio religionis ergo Buffonem* addi virgini. Ratio est, quia haec spurcitiem omnem, virulentiam, fastum, auaritiam, et quicquid est terrenarum cupiditatum vicit, calcavit et extinxit.

CAP. CXXXVIII.

De imaginibus facierum virginis, earumque virtutibus.

Sunt in Zodiaco imagines sex atque triginta iuxta numerum facierum, de quibus, quod ait *Porphyrius*, scripsit olim *Teucer Babylonius*, vetustissimus Mathematicus, post quem scripserunt de illis etiam Arabes. In prima facie virginis, ascendit figura puellae, et vir iaciens semina, et significatio eius est congregandi diuitias, dirigendi victum, arandi, semi-

feminandi, et populandi. In secunda facie ascendit vir niger indutus ex corio et vir habens comam, et tenens loculos, et significatio eorum est ad lucrum et congregationem substantiae, et ad avaritiam. In tertia facie ascendit mulier alba et surda, siue homo senex innixus baculo, et significatio eius est ad debilitatem et infirmitatem et damnamentum membrorum, et ad destructionem arborum et depopulationem terrarum.

CAP. CXXXIX.

Num virgines puellae vniusmodi vestimentis cum adolescentibus iuuenibus indutae agnosci queant?

Cum ex sexus discrimine eiusque praevalentia solummodo discerni puellae a pueris queant, *argum. l. quaeritur ff. de stat. hom. ex vestitu haud agnosci poterunt, l. item apud Labeonem 15. §. si quis virgines, ff. de iniur. qualisque enim extrinsecus videtur, talis iudicari potest, l. 50. ff. locat.* Verum sapientissimus ille rex SALOMON nouum, eumque naturalem agnoscendi modum reliquit. Nam inter alia admiranda sapientiae opera regina Aethiopum Nicaula Sabaea, cum Salomonem tentaret, etiam huiusmodi quiddam excogitauit. Formosos aliquot pueros, tam mares quam femellas vniusmodi vestitu et eadem tonsura quum exornasset, Salomoni eos exhibuit vtriusque sexus, discrimen in his vt indigaret, postulans. Tum ille iussis pueris facies suas abluere, naturam in vtrisque suam deprehendit, quum ma-

res quidem viriliter vultus suos fricarent, feminae vero molliter ac delicate. Illa vero obstupescens inquit: Maiora vidi, quam auditu acceperam. Refert Michael Glycas anal. part. 2. cap. Vnde mos imponendi iis, qui ad munus aliquod per suffragia deliguntur, inoleuit. Similem fere et recentiore commentatur Henricus Cornelius Agrippa in oratione de prae-excellent. sexus feminei: De lauatione manuum iuuenum aquam turbidam fieri, ex lauatione vero puellarum, semper puram manere.

CAP. CXL.

De Minerualibus sacris et pagna virginum.

Quod ad bellica feminarum studia atinet, Herodotus autor est, Machlyes et Aufes, circa Tritonidem habitare, quorum puellae Mineruali sacro velut in turmas diuitiae, sustibus sese et lapidibus incessant, assant, assae se patrium morem seruare. Tum si quae vulneribus occuberint eas negari virgines fuisse, quae omnium optima fortissimaque iudicata: sed eam Graeco armorum apparatu et crista Corinthia in currum sublatam circa paludem multo suorum fauore subuehi. *Sabell.*

F I N I S.

2809

